habere bona abſcondita, quæ judici manifeſtare teneatur. Hæc enim eſt intentio illius interrogationis.

32 Sextò deducitur, quoties quiſpiam à cujuſvis debiti obligatione liber eſt, poſſe rogatum à judice de illo, id negare, intelligendo intra ſe, *ita ut debeat*; Quia reſpondet ad debitam judicis mentem. Qua ratione optimè *Covarr.* relatis *Alciato, & Cepola lib. 1. var. c. 2. num. 4. Azor. tomo 1. l. 11. inſtit. moral. cap. 4. qu. 5. regula 2.* docent eum, qui nummos mutuo acceptos ſolvit, poſſe à judice rogatum de mutuo, jurare ſe illud non accepiſſe, intelligendo, *ita ut teneatur id ſolvere*. Idem docent *Suarez eo libro 3. capite 9. num. 6. Parlad. de rebus quotidianis, lib. 2. cap. finali, parte prima, §. quarto num. 13.* Atque idem dicendum eſt, ſi quacumque alia ex cauſa ab eo mutuo ſolvendo liber eſſet. Atque idem credo, ſi tunc non teneretur ſolvere, eò quòd terminus, ad quem mutuum datum fuit, non eſt impletus; vel præ paupertate excuſatur debitor à tunc ſolvendo. Quia judex ad eum effectum rogat, ut cogat ſtatim ſolvere. Quare negans ſe accepiſſe, intelligendo, *ita ut ſtatim debet ſolvere*, verè ad debitam judicis mentem reſpondet. Atque ob eamdem rationem *libro primo de matrimonio, diſputatione decima, numer. 27. & 28.* probavimus, quoties ſive verè, ſive fictè promittens matrimonium, immunis eſt ob aliquam cauſam ab implendi obligatione, poſſe eum à judice vocatum jurare ſe non promiſiſſe, intelligendo *ita ut teneatur implere*. Quod *ibi numero vigeſimo octavo* diximus procedere, non tantùm, quando eſt certa cauſa non implendi, ſed etiam quoties ſapientum judicio eſt probabile non teneri ſervare. Quia poteſt amplectendo opinionem probabilem exiſtimare ſe tuta conſcientia non obligatum. Atque ideò immeritò *Guttierez* allegato *Perez quæſt. practic. lib. 1. tota quæſt. 60.* negat poſſe negari mutuum jam ſolutum. Et eadem ratione clericus rogatus à cuſtodibus, an aliqua portet, eo fine, ut gabellam ſolvere compellatur, poteſt jurare ſe nil portare, intelligendo *ex quo gabellam debeat*. Ita *Sylv. verb. Mendacium quæſtione ultima*. Et idem credo, quoties laicus aliqua portat, aut habet, aut vendidit, ex quibus gabellam aliqua ratione non debet, aut non debet integram, juxta probabilem opinionem. Poteſt enim juramento rogatus negare ſe habere, portare, vendidiſſeve eam ſolam quantitatem, ex qua gabellam non debet; intelligendo intra ſe, *ita ut ex illa debeat*. Ut benè docet *Suarez eodem capit. nono, numero ſeptimo.*

33 Major difficultas eſt, an debens quinquaginta rogatus in judicio, an debeat centum, poſſit abſolutè negare ſe centum debere? Et ſimiliter rogatus de fundo, an ſit ſuus, poſſit abſolutè negare ſuum eſſe, ſi ſola pars ejus ſua ſit? *Bartol. l. Is qui ducenta, §. Utrum, ff. de rebus dubiis, Abbas Felinus, Alexand. Alciatus, Aretinus,* & alii, quos refert, *Covarr. lib. 1. variarum, cap. 4. nu. 5.* dicunt hunc ita abſolutè negantem eſſe perjurum. Quorum fundamenta refert, & ſolvit *ibi Covarr.* Qui aliis relatis jure optimo tenet contrariam opinionem, quam etiam ſuſtinent *Azor. tom. 1. l. 11. inſtitut. moral. cap. 8. in fine, & Guttierez quæſtionibus practicis, lib. 1. quæſt. 61. num. 2.* qui alios *num. 1.* refert pro contraria ſententia. Quia qui rogatur, an comederit in templo, cum ſolùm extra comederit, verè negat. Item, quia propoſitio affirmativa eſt falſa, nempe, *debeo centum*. Ergo negativa ejus contradictoria eſt vera. Quamvis autem hic non ſit perjurus, poterit ex alio capite culpæ reus eſſe, nimirum, ſi neget, ne cogatur ſolvere partem, quam debet, vel cauſa alterius fraudis, & quia cogit actorem ad probandam partem illam verè debitam. Et ita ait *Guttierez eodem numero 2.*

34 Septimò deducitur, ſcholaſticos rogatos, an fuerint collocuti cum aliquo ex candidatis circa cathedram concertantibus, vulgo, *oppoſitores*, poſſe tuta conſcientia jurare ſe non collocutos, ſi de iis ſolis rebus egere, quæ ad ſubornandum eos non pertinebant; intelligendo intra ſe de hujuſmodi rebus. Quia hæc eſt debita interrogantium mens. Ita *Navarrus ſumma c. 12. n. 19. Suarez eodem lib. 3. c. 9. n. 7. Sayro in clavi regia, lib. 5. c. 4. n. 24.* Quamvis contrarium immeritò teneat *Ludovicus Lopez 1. p. inſtruct. c. 41. col. 7. verſ. Qui tempore peſtis*. Et ſimiliter ob eamdem rationem poſſunt à judice interrogati, an domum alicujus ex illis ingreſſi ſint, jurare ſe non ingreſſos, quando non ingreſſi ſunt, ut ſubornarentur. Ita *Manuel 1. tom. ſumma, in ſecunda editione cap. 191. num. 4.* Atque ob eamdem rationem rogati, an egerint de iis, quæ in aliqua congregatione tractata ſunt, ſi egerit de non præjudicialibus, & quæ juxta ſtatutorum mentem non ſunt ſecreto ſervanda, poſſunt jurare ſe non egiſſe, ſed ſecreto ſervaſſe; intelligendo intra ſe *de iis, quæ ſervare tenebantur*. Ita *Philiarc. de officio ſacerd. tom. primo, part. ſecunda, lib. 3. cap. 14. in fine, Suarez, & Sayro* proximè allegati.

35 Octavò deducitur, venientem ex loco minimè peſte infecto, qui falsò infectus creditur, rogatum ab urbis cuſtodibus, veneritne ex eo loco, poſſe jurare ſe ex eo non venire intelligendo *tamquam ex loco peſtilenti*. Quia hæc eſt debita cuſtodum intentio. Ita *Sylveſt. verbo Juramentum, 3. q. 2. in fine, Navarrus c. Humanæ aures 22. q. 5. in q. 2. n. 9. & in ſumma c. 12. nu. 19. Toledo lib. 4. ſummæ cap. 21. nu. 9. Philiarcus de officio ſacerdotis, tom. 1. p. 2. lib. 3. c. 14. ad finem, Azor. tom. 1. lib. 11. inſtit. moral. c. 4. q. 5. regula 3. juncto verſ. Primò quidem, Suarez eo cap. 9. n. 7. Sayro eo c. 4. nu. 22. Leonard. lib. 2. de juſtitia, in c. 42. dub. 9. n. 47.* Atque idem benè docent *Sylveſt. & Azorius ibidem, & Manuel 1. tom. ſummæ 2. editione, c. 191. nu. 4.* quando adeò celeriter tranſiit per locum peſte infectum, ut nihil eum peſtis attigerit, poteſt enim jurare ſe illac non tranſiiſſe, intelligendo, *ita ut aliquid mali ex loci peſtilentia contraxerit*. Quia hæc debet eſſe recta cuſtodum intentio. Et ita debent intelligi *Navarr. eo c. 12. num. 19. & Toledo eo nu. 9. Suarez eo n. 7.* dum dicunt venientem ex loco peſtilenti, ſi meritò credat, nec ſe, nec aliquid ſuum peſte infectum eſſe, poſſe jurare inde non venire; intelligendi enim ſunt, quando ita celeriter illac tranſiere, ut explicatum eſt. Quia aliàs nullatenus id jurare liceret. Semper enim eſt periculum contagionis. Et ideò optimè *Leonardus eodem num. 14.* dixit oportet, ut jurans ſit certus non eſſe periculum contagionis. Atque optimè advertit *Sylveſt. eadem quæſt. 2. & verbo Mendacium in fine* religioſos, & clericos venientes ex loco verè peſtilenti, ac de hoc rogatos ab urbis cuſtodibus teneri ad ipſorum cuſtodum mentem jurare. Quia etſi laici exigentes juramentum non ſint eorum ſuperiores, id licitè exigunt. Cum non vi illata, ſed ex ſuppoſitione, ſi in urbem ingredi velint, id petant.

36 Nonò deducitur, creditorem virtute inſtrumenti publici exigentem coram judice debitum, vulgo, *executando por la deuda*, poſſe jurejurando aſſerere quantitatem in eo inſtrumento contentam, eſſe ſibi debitam, prout jurare jubetur, *l. 9. regia, titul. 21. lib. 4. novæ recopil.* etſi pars illius ſummæ debitæ ſoluta ſibi ſit; ſi tantumdem pecuniæ, quantumdem ſolutum eſt, ſit alia via ſibi debitum; de quo nullum eſt inſtrumentum publicum, virtute cujus exigatur. Quia cum re vera ea quantitas debita verè ſit, nec jures ſibi deberi virtute illius inſtrumenti, verè jurat, ac juxta principalem judicis mentem; & nulli injuriam irrogat. Cum debitor totam illam ſolvere teneatur. Hoc tamen intellige, niſi eſſet præjudicium juris alterius creditoris, qui heberet jus antedebito illo non contento in inſtrumento, & debitor ille non eſſet omnibus ſolvendo, & jus illius alter jus creditoris eſſet poſterius debito contento in inſtrumento. Quippe hic recuperans virtute illius inſtrumenti totam ſummam, præferretur in tota in præjudicium alterius creditoris, qui in quantitatis ſolutæ parte majus jus habebat. Imò quando hoc præjudicium non eſt, ſi debitor reconveniat coram judice creditorem, ut juret, an pars illius debiti ſoluta ſit ſibi, poteſt jurare ſolutam non eſſe intelligendo, *ut modò non ſit tantumdem ſibi debitum*. Quia verum in hoc ſenſu jurat, ac neceſſitate debiti recuperandi cogitur.

37 Decimò deducitur, ſi per injuriam extorqueatur promiſſio jurata alicujus pecuniæ dandæ, licere juranti uti hac æquivocatione, *juro tibi me numeraturum pecuniam*; intelligendo, *ut ille caſus* tibi, *regatur, à verbo*, Juro, ita ut ſit ſenſus, *tibi juro fore, ut numerem pecunias, ſive tibi, ſive alteri*. Quòd ea oratio patiatur utrumque ſenſum. Item, ſi in ea lingua, in qua juratur, nomen Dei habeat diverſas ſignificationes, licere jurare per Deum uſurpando id nomen in alia ſignificatione. Similiter non eſſet plus quam veniale mendacium, dicere, *uro*, ablata, *I* cum nil verè urat. Hæc omnia docet *Sotus l. 8. de juſtit. quæſtione prima, articulo 7. in fine*. Imò credo nullum fore mendacium, ſi illud verbum, *Uro*, accipiatur materialiter ad nil ſignificandum. Sicut *num. 10.* diximus de aliis juramenti verbis materialiter acceptis.

38 Sed an liceat tunc jurare, retinendo mente hanc conditionem, *juro me daturum, ſi tibi ſecluſo juramento ſum debitor*? Aliqui negant ducti, quòd ea verba hanc amphibologiam non patiantur in communi hominum ſenſu. Ita docent *Cajetan. 2. 2. q. 89. art. 7. col. penult. verſ. Ad hoc ducitur.* Et *ibi Aragon. circa ſolutionem ad 4. in 2. concluſ. Sotus l. 8. de juſt. q. 1. art. 7. column. ultima*. At retenta noſtra ſententia *num. 15.* tradita, dicendum eſt id licere. Quia nil refert verba eam amphibologiam pati, & cogit neceſſitas ea uti. Et ita cum ſecluſo juramento non debeat, minimè tenebitur ſolvere. Atque ita docent *Angelus verbo Juramentum 5. n. 8. caſu 9. Sylveſt. verbo Juramentum 4. q. 7. dicto 2. Navarr. c. Humanæ aures 22. q. 5. in q. 3. n. 6. in fine, & ſumma c. 12. n. 14. Azor. tom. 1. lib. 11. inſtit. moral. c. 4. q. 5. reg. 5. juncto verſ. Primò quidem, Valentia 2. 2. diſp. 6. q. 7. puncto 4. col. antepenult.* Qui benè addit, nec teneri tunc propter alios id juramentum implere. Poterunt enim, & debebunt credere juramentum in alium ſenſum fuiſſe detortum; ſiquidem ad id juſta cauſa ſuberat.

39 Undecimò deducitur, coactum aliquam accipere in ſponſam, quam ducere non tenetur, poſſe jurare ſe accepturum, intelligendo intra ſe, *ſi teneor*, vel *ſi poſtea placuerit mihi*. Conſtat ex dictis. Et docet *Toledo l. 4. ſumm. c. 21. num. 6.*

40 Duodecimò deducitur eadem ratione fœminam morti proximam, ac excommunicatam, eò quòd viro non cohabitet, quem novit ob impedimentum occultum non eſſe ſuum, coactamque jurare, ut abſolvatur, fore ut adepta ſanitate illi cohabitet, poſſe id jurare, intelligendo intra ſe, *ſi id mihi licet*. Quia non eſt mens juramentum exigentis ut ea peccet. Et ita docent *Angelus verbo Juramentum 4. in initio, Sylveſter verbo Juramentum 3. quæſt. 2. verſic. in Juramento verò, Navarrus ſumma cap. 12. num. 9. Azor. tom. 1. lib. 11. inſtitutionum moralium cap. 4. quæſt. 5. regula 2. in fine, Philiarcus de officio ſacerdotis, tom. 1. part. 2. lib. 3. c. 14. ad finem.* Atque *Sylveſt.* eam univerſalem regulam tradit, quoties juramentum exigitur exequendi aliquid, quod ſine peccato fieri nequit. Poteſt enim jurans ſe intelligere, *ſi abſque peccato id efficere potuero*. Idem intelligo de muliere non cohabitante viro, eò quòd conſcia ſit adulterii viri, ac proinde juſtam divortii cauſam habet. Quippe jurare compulſa ſe viro cohabitaturam, poteſt id jurare, intelligendo intra ſe, *ſi ad id teneor*. Quia mens judicis non eſt novam illi obligationem imponere.

41 Decimò tertiò deducitur, adulteram rogatam à marito, an adulterium admiſerit, poſſe jurare ſe non fregiſſe matrimonium. Quia adhuc matrimonium integrum, & ſtabile perſeverat; quamvis vir ea verba in eo ſenſu percipiat, ut fidem thri non violarit. Ea enim oratio utrumque ſenſum admittit. Ita *Sotus de ſecreto, membro 3. qu. 3. concluſ. 7. Aragon. 2. 2. q. 69. art. 2. in fine, Sayro in clavi regia lib. 12. c. 17. num. 25.* Negat autem *Sotus ea q. 3. poſt 5. concluſ. verſ. Sed ais fortè, & lib. 5. de juſt. q. 6. art. 2. ad finem corporis*, licere illi negare adulterium, concipiendo intra ſe aliam diem ab ea, in qua id admiſit. At tenendo noſtram ſententiam *num. 15.* relatam, verius eſt id licere. Et ita docent *Navarr. c. Humanæ aures 22. q. 5. in qu. 1. num. 9. Philiarcus numero præcedenti* allegatus. Et conſtat ex dictis in ſimili *num. 26. in fine*. Similiter poteſt jurare ſe non feciſſe, intelligendo intra ſe, *ut tibi revelem*. Ita *Philiarcus ibid. Azor. tomo 1. l. 11. inſtitut. moralium cap. 4. qu. 5. regula 3. juncto verſ. Primò quidem, Sayro in clavi regia, lib. 5. cap. 4. num. 24.* At nequit jurare ſe adulterii crimine carere, eò quòd illud confeſſa ſit. Quia veniam ſibi conceſſam à Deo eſſe ignorat. Ita *Palud. 4. d. 35. q. 1. artic. 3. num. 26. Sylveſt. verb. Juramentum 2. qu. 8. Navarrus ſumma cap. 12. n. 18.* Quamvis minùs benè concedat hoc licere *Sayro eodem c. 4. num. 24.*

42 Decimo quartò deducitur, licitam fuiſſe amphibologiam, qua uſum fertur D. Franciſcum, qui à judicis miniſtris rogatus, an illac quidam reus tranſiiſſet, manus in veſtis manicas introducens, dixit ſic, *Non tranſiit hac*, intelligens de loco, in quo manus habebat. Quia aderat juſta occultandæ veritatis cauſa; & verba verum ſenſum juxta additum mente intellectum habebant. Hoc eſt contra *Sotum de ſecreto, membro 3. quæſt. 3. poſt 5. concluſionem, verſ. Sed ais fortè*. Sed approbant *Ananias, & Angelus*, quos referunt, & ſequuntur *Navarr. c. Humanæ aures 22. qu. 5. in qu. 2. num. 10. & 11. Suarez tomo 2. de religione, tractatu de juramento, lib. 3. cap. nono, num. 7. & 8. Idem Navarr. in ſumm. c. 12. num. 8. Salon. 2. 2. quæſt. 96. art. 2. controverſia 11.* Atque ſimiliter poſſet dicere ſic, *Non tranſiit hac*, intelligendo locum individuum, quem pede, aut manu tangit. Ut benè docet *Sylv. verb. Mendacium, quæſtione ultima*. Similiter mulier, quæ nupſit conſobrino, rogata à judicis miniſtris, an maritus domum intrarit, poteſt jurare neminem domum intrare præter conſobrinum. Ut benè docet *Sotus ea quæſtione tertia, concluſione 7.*

43 Decimo quintò deducitur, eum, à quo mutua pecunia petitur, quam re vera habet, poſſe jurejurando affirmare, ſe eam non habere, intelligendo intra ſe, *ut mutuo det*, quando non tenetur mutuare. Ita docent *Navarrus ſumma Latina cap. 12. num. 18. Hiſpana cap. 28. additione ad num. 8. cap. 12. & cap. Humanæ aures 22. quæſt. 5. in quæſt. 3. num. 13. Manuel. 1. tom. ſummæ, in ſecunda editione cap. 191. nu. 4. Philiarcus de officio ſacerdotis, tom. 1. part. 2. lib. 3. cap. 14. ad fin. Sayro eodem cap. 4. num. 26.* At contrarium tenent *Corduba de ſecreto, memb. 3. quæſt. 3. Enriquez lib. 5. de pœn. cap. 19. nu. 8. in commento, litera R, in fine, Ludovicus Lopez prima parte, inſtructorii cap. 42. column. ſeptima, verſ. Item qui non tenetur, Parlad. de rebus quotidianis, l. 2. cap. finali, part. 1. in §. 4. num. quinto*. At credo priorem ſententiam eſſe veriorem, quod ad hoc, ut ille non ſit perjurus. Quia in ſenſu verum dicit; cum ſenſus ſit, *non habeo, ut tibi mutuare velim*. Quare ad veritatem hujus juramenti nil refert, an ille teneatur mutuare, nec ne. Et ita non oportet addere illam limitationem, quam prædicti Doctores addunt, quando non tenetur mutuare. Et ſolùm intelligo illam addere, ut ſit peccatum tunc negare mutuum. At quamvis non ſit perjurus, peccabit venialiter in ea juramenti æquivocatione, ſi nulla non mutandi cauſa ſit. Juxta dicta *num. vigeſimoſecundo*. Nulla autem eſſet culpa, ſi adeſſet juſta non mutuandi cauſa. Ut quia jurans illis pecuniis eget ad alium uſum; aut credit fore, ut accipiens ſit tardus, ac difficilis in ſolvendo; aut ignorat, qualiter ſe habiturus circa ſolutionem ſit. Similiter idem dicendum eſt, ſi intra ſe intelligat, non habere ſe pecunias in alio loco ab eo, in quo re vera habet. Quia ſimiliter juxta additum mente retentum ea verba vera ſunt. Et tandem juxta omnem ſententiam poteſt verè jurare, ſe non habere eas pecunias, quando re vera illis pro tunc ita eget, ut eas mutuare nequeat. Quia juxta petentis intentionem reſpondet, quæ eſt, an habeat pecunias, quas commodè mutuo dare poſſit.

44 Ultimò deducitur, pœnitentem temerè rogatum, an hoc, vel illud peccatum faſſus ſit, poſſe jurare ſe non confeſſum, intelligendo *ita ut teneatur illi explicare*. Ita contra *Sotum 2. d. 18. qu. 4. art. 5. in ſolut. ad 4. verſ. Atque conſideratè*, dicentem poſſe dicere, ſe non dixiſſe; at non poſſe dicere, ſe non dixiſſe in confeſſione, aut non falſum eſſe, tenent *Enriquez l. 6. de pœn. c. 19. n. 7. Valentia 4. tom. diſp. 7. q. 13. puncto ult. col. 2.*

45 Tandem id obſervandum eſt, quoties licitum eſt ad ſe tuendum uti aliqua æquivocatione, id quoque erit licitum, etſi interrogans urgeat excludens illam æquivocationem; v. g. iniquus judex interrogat teſtem, an ſciat delictum, ſive publicè, ſive occultè, poteſt teſtis reſpondere, ſe nec publicè, nec occultè ſcire, intelligendo *ità, ut teneatur dicere*. Ut docet *Sotus*, etſi aliquantulum dubius, *de ſecreto, membro 3. q. 3. poſt 4. concluſ. verſ. Sed hoc eſt, quod me dubium, Aragon. 2. 2. quæſt. 70. artic. 1. fol. 522.* Et de confeſſore, qui iniqua interrogatione urgetur, an ſciat in confeſſione, & ut Deus, dicunt poſſe eum jurare etiam, nec hoc modo ſcire intelligendo intra mentem, *ita ut teneatur dicere, Sotus 4. d. 18. q. 4. art. 5. ad 4. Navarr. cap. Humanæ aures 22. qu. 5. in qu. 2. num. 7. Suarez 4. tomo in 3. part. diſput. 33. ſectione 6. numer. 7. Enriquez lib. 6. de pœnitent. cap. 19. numer. 7. Valentia 4. tomo, diſputatione 7. quæſt. 13. puncto ultimo colum. 2.* Atque idem docent de reo, qui rogatus de delicto ſecreto urgetur, ut dicat, ſive fecerit publicè, ſive occultè, ſive ipſe judex juridicè roget, ſive non, dicentes poſſe adhuc reſpondere ſe non feciſſe, intelligendo, *non ut iniquitate tua rogas, ſed ut teneris tamquam judex rogare, Bannez 2. 2. qu. 69. art. 2. dubio penultimo, & ibi Salon. controverſia 11. pag. 1575. verſ. Quòd ſi Judex.* Atque idem docet de rogato à cuſtodibus urbis aliquem locum peſte infectum falsò eſſe exiſtimantibus, & rogantibus quempiam, an ex eo loco venerit, ſive infectus peſte ſit, ſive non, nempe poſſe huc reſpondere non venire ex eo intelligendo, *non ut vos rogatis, ſed ut debetis rogare, Navarr. in dicto cap. Humanæ aures, in quæſt. 2. num. 9.* Quorum omnium ea eſt ratio, quia etſi interrogans excludat eo ipſo omnem alium modum ſciendi, & reſponſio ex ſe id ſignificet; id tamen verum eſt ex formali iniqua interrogantis intentione, cui imputari debet repugnantia in ipſis verbis, & interrogatione. At alter utitur jure ſuo, reſpondendo ad mentem legitimam, quæ ineſſe deberet. Quare idem cenſeo ob eamdem rationem, quantumcumque reduplicet iniquus interrogator, ut juret ſe nulla æquivocatione uti, & abſque omni prorſus æquivocatione id intelligere, adhuc enim id jurare poteſt, intelligendo, *ita ut planè debeat loqui, & explicare*; vel aliquid aliud mente concipiendo, quo verum id reddatur. Quia cum non teneatur ad formalem interrogantis mentem reſpondere, ſed ad debitam, illa reſponſio juxta debitam ejus mentem vera eſt.

46 At oportet, ut utens quacumque ex dictis amphibologiis intendat ſenſum, quem verba verè poſſunt habere, & ſic eſt opus, ut ſciat ſe in aliquo vero ſenſu poſſe dicere, quamvis in ſpecie illum ignoret. Ita *Suarez eo l. 3. c. 10. num. 4.* at ſat erit, ut intendat ſenſum, quem doctus vir illi conſulit, aut intelligit.

CAPUT VII.

Qualiter non liceat in judicio, judice benè rogante, vel in contractibus, amophibologia uti in juramento? Et an qui tunc negavit, poſſit abſolvi antequam declaret delictum, etſi jam ducatur morte plectendus? Et an ſi ſibi falsò crimen impoſuerat, teneatur retractare?

SUMMARIUM.

An juridicè rogatus, vel in contractibus, peccet mortaliter jurans utendo amphibologiis? n. 1.
Quid, ſi in his caſibus fingat ſe jurare, non jurans? n. 2.
Rogatus juridicè de delicto, an poſſit jurare ſe non feciſſe, ſi fieri mandavit? n. 3.
An poſſit negare, ſi jam in confeſſione ſacramentali id delictum faſſus ſit? num. 4.
Teſtis juridicè rogatus, an poſſit jurare ſe neſcire, quæ ſolùm audiit? num. 5.
An reus, qui illegitimè negavit veritatem, ſi jam punitus, vel abſolutus ſit, vel fugiit, teneatur ſe offerre ad fatendam veritatem? num. 6.
Quid ſi adhuc ſit ſub judicis poteſtate, & duret judicium? Refertur quædam ſententia, n. 7.
Et ſententia Auctoris, n. 8.
Qualiter ſe habere debeat confeſſor cum reis, circa fatenda veritatis propoſitum, ſi iterum rogentur? n. 9.
An reus jam condemnatus, qui ad mortis ſupplicium ducitur, teneatur fateri veritatem, quam juridicè rogatus negaverat? Refertur quædam ſententia, n. 10.
Proponitur ſententia Auctoris, n. 11.
Quid ſi ſibi falſum impoſuerat, propter quod damnatur, an teneatur ſe retractare? n. 12.

1 NOn eſt animus in præſenti tractare, quando judex ita juridicè roget, ut reus fateri teneatur; hoc enim ſpectat ad tractatum *de reo*. Sed tamen in præſenti tractatur, quando tenetur ſub mortali crimen fateri, an peccet mortaliter id amphibologiis tegendo, quæ verum ſenſum efficiunt; teneaturque poſtea ſe offerre ad veritatem ſincerè detegendam. Et quidem quoniam judex ita juridicè rogat, ut reus teneatur fateri veritatem conſtat eſſe lethale in

re notabili eam amphibologiis tegere. Cum teneatur etiam ſincerè detegere. Et ita docent omnes Doctores *toto cap. præc.* allegati. Atque idem eſt, quando à privata perſona, cujus intereſt ratione contractus, juramentum præſtari exigitur. Quod benè docent *Sotus l.8. de juſt. q.1. art.7. circa ſolutionem ad 4. verſ. Quòd ſi rurſus, & verſ. Hactenus de his, Philiarcus de officio Sacerdotis, tom.1. p.2. lib.3. c.14. paulò poſt principium, Leonard. l.2. de juſt. c.42. dub.9. n.46. Sayro in clavi regia, l.5. c.4. nu.25.* & eſt omnium. Quod intelligo, quando illi privatæ perſonæ damnum notabile inde immineret. Ut explicabo *n. ſequenti.*

2 Quare in utroque caſu peccat moraliter, ſi fingat ſe jurare, & re vera non juret, verba juramenti ſubticens. Quia injuriam irrogat judici, aut parti legitimè juramentum exigentibus. Ita docet *Alcozer. ſumm. c.15. fol.52. pag.2. verſ. Jurar con cautela.* At hoc intelligo, quando inde aut judicio aut contractui notabile damnum ſequeretur. Nec enim mortaliter peccaret, ſi nulla fraude, ſed reverentia juramenti ductus, & ſcrupulo, fingeret ſe jurare, ita ut adſtantes, & tabellio intelligerent eum jurare. Quia cum in foro externo conſtet de eo juramento, nullum damnum ſequitur judicio, aut contractui; & ex alia parte integrè veritatem fatetur, nec aliquam fraudem molitur.

3 Hinc deducitur, rogatum juridicè, an crimen aliquod admiſerit, quod per ſe non admiſit, ſed per tertiam perſonam, cui id præcepit, eſſe perjurum, ſi juramento ſe admiſiſſe neget. Quia id jusjurandum accipiendum eſt ſecundùm legitimum verborum ſenſum, quem aut ſuapte natura verba habent, aut in quo canones, & leges accipiunt. At feciſſe verè dicitur non ſolus ille, qui per ſe ipſum fecit, ſed & qui fieri mandavit, *lib. 1. verſic. Dejeciſſe ff. de vi & vi armata.* Ita *Azor. tom. primo, l.11. inſtitut. moralium c.8. qu.2.*

4 Secundò deducitur, juridicè de delicto rogatum non poſſe jurare ſe ab eo delicto liberum, eò quòd illud in confeſſione ſacramentali detexerit. Quia etſi certus eſſe id delictum per confeſſionem eſſe ſibi à Deo condonatum, adhuc jus habet judex de illo interrogandi ad punitionem in foro externo. Ita docent *Paludanus 4. diſt.35. q.1. art.3. n.26. Azor. eo lib. 11. inſt. moralium, c. 11. qu. 1.* Idque conſtat ex *cap. Accepimus 16. de purgat. canon.*

5 Tertiò deducitur, licere teſti juridicè interrogato, an aliquid ſciat, non tamen rogato, an audierit, jurare ſe neſcire, ſi ſolùm audierit. Quia hæc verba plana ſunt, & ab omni amphibologia libera. Quippe ea ſola cenſentur teſtes ſcire, quæ in eorum præſentia geſta ſunt, *c. Teſtes, 3. qu.9.* Ita *Sotus 4. diſt.18. q.4. art.5. in ſolutione ad 4. & de juſt. l.5. q.6. art.2. concluſione 7. & de ſecreto, membro 3. q.3. poſt 4. concluſionem, verſ. Ced quidquid ſit, Aragon. 2. 2. q.70. art. 1. fol. 520. columm. 2.*

6 Potiſſimum autem dubium eſt, quando reus legitimè interrogatus, ita ut ſub mortali fateri teneretur, negavit veritatem, aut amphibologiis texit, an abſolvi poſſit niſi ſe judicio offerat ad veritatem detegendam, etſi iterum non rogetur? Et in triplici ſtatu poteſt hoc in dubium verti. Primus eſt, quandó reus hic jam à judice abſolutus fuit, aut punitus, aut è carceru fugiens eſt omninò extra judicis poteſtatem. Secundus eſt, quando adhuc judicium durat, ac reus eſt ſub judicis poteſtate. Tertius eſt, quando convictus, & damnatus ducitur ad mortis ſupplicium perferendum. Et quidem in primo ſtatu, fatentur Doctores non teneri hunc ſe offerre ad veritatem manifeſtandam. Quia cum jam extra judicis poteſtatem ſit, id nil aliud eſſet, quàm ſe prodere. Atque ita docent *Bannez 2. 2. q.69. art.2. in 2. part. dubio 1. concluſione 3. & ibi Salon. controverſia 10. concluſ. 3. Sayro in clavi regia, l.12. c.17. num.14.*

7 In ſecundo autem ſtatu, nempe quando adhuc reus ſub judicis poteſtate eſt, nec ſententia eſt lata; communis ſententia affirmat, eum in malo ſtatu eſſe, niſi ſe ad fatendum veritatem etiam non rogatus offerat; ac proinde abſolvendum non eſſe, niſi id efficere firmiter proponat. Ducitur, quia quamdiù judicium durat, cenſetur eadem judicis interrogatio durare, ac proinde eadem fatendæ veritatis obligatio. Secundò, quia hic eſt cauſa per injuriam differendæ ſententiæ, ac concedendæ ſibi appellationis; ac ſemper negatione illa injuſta ſe tuetur. Quare cauſam injuſtam defendit, & eſt quaſi repetita injuſta negatio. Atque hanc partem videntur clarè ſentire *Sotus de ſecreto, mem.2. q.7. concluſ.3. & lib.5. de juſt. q.6. art.2. col.12. verſ. Ex his autem, Navarr. c. Inter verba, in 1. editione, coroll.64. n.727. in 2. coroll.65. n.240. & in ſumma c.25. Hiſpanè, n.35. Latinè, n.36. Salzedo addit. ad practicam Bernardi Diaz, c. 126. verſ. Secundò,* ubi dicunt reum juridicè rogatum perſeverare in peccato, donec fateatur, nec abſolvendum eſſe. Et tenent expreſsè *Angles floribus 2. p. qu. de correctione fraterna, art. 3. difficultate 7. Sayro eo c.17. nu.13.* & à fortiori Doctores, quos *numero decimo* allegabo. Et *Bannez, & Salonius numero præcedenti* allegati. Atque temperant hoc *Sayro, & Bannez*, niſi ob perjurium prius eſſet reus alia pœna plectendus.

8 Quamvis autem hoc ſatis probabile ſit; at mihi probabilius eſt non teneri hunc ſe offerre ad fatendam veritatem, ſed ſatisfacere, dolendo de præterita culpa, & proponendo ſi iterum interrogetur, fateri veritatem. Ducor, quòd hic reus duplicem injuriam irrogavit, alteram parti læſæ, & huic ſatisfacit animo reſtituendi cujuſcumque damni ſecuti, alteram autem judici, denegando illi debitam obedientiam; & huic ſatisfacit dolore peccati, & propoſito obediendi judici iterum interroganti. Quippe id veritatis detegendæ præceptum eſt tranſiens, duranſque ſolùm dum judex interrogat. Secundò, quia minùs tenetur reus contra ſe deponere, quàm teſtis contra alium. At teſtis, qui juridicè rogatus de alterius delicto negavit veritatem, non tenetur ſe offerre ad veritatem manifeſtandam, ſed damnum reſtituendo ſatisfacit. Ergo nec reus. Tandem quia in ordine ad judicem non peccat contrà juſtitiam commutativam, ſed ſolam legalem, & licèt reſpectu partis peccarit contra juſtitiam commutativam negando; ille ſatisfacit propoſito damni reſarciendi. Nec obſtant argumenta *num. præc.* adducta. Non primum, quia negandum eſt durare id præceptum. Ad ſecundum dico non eſſe repetitam delicti negationem, ſed eam tranſiiſſe. Et quamvis cauſa, quam reus tuetur, ex ea parte qua delicti negationi innititur, ſit injuſta, non tenetur cum tanto proprio detrimento ſe offerre ad veritatem aperiendam; ſed ſatisfacit animo ſolvendi parti expenſas, & alia damna. Et ideò hanc partem tuentur *Philiarcus de officio ſacerdotis, tomo 1. p. 2. lib. 4. cap. 25. inter peccata reorum in fine.* Et quidam Neoterici doctiſſimi. Et conſtabit magis ex dicendis *num. 11.*

9 Cautè autem ſe debet habere confeſſarius circa hoc propoſitum reorum fatendæ veritatis, ſi iterum rogentur. Si enim credat fore, ut iterum non rogentur, nil debet interrogare de tali propoſito, ne pœnitentes tentet, & exponat periculo denuò peccandi habendo propoſitum contrarium; cum ſit difficillimum negotium fateri proprium crimen. Sed ſatis eſt, ut in genere proponant cavere in poſterum peccata. Imò, ſi credat fore, ut iterum rogentur, nec conjiciat confeſſarius in pœnitente animum negandæ veritatis, non debet etiam ipſum tentare interrogando de hac re. Cum tunc non ſit in peccato mortali; id enim jam tranſiit. Et ſatis eſt in genere proponere emendam. Et quamvis prior opinio vera eſſet, ſi pœnitens ſit in bona fide, debet confeſſarius non certiorem illum facere de hac obligatione, utpote quæ difficillima eſt, & raró acquieſcet. Juxta ea, quæ latè diximus *lib. 2. de matrim. tota diſputatione 38.*

10 In tertio ſtatu, nempe, quando jam reus damnatus eſt, ac pœna mortis, vel alia plectendus, quidam cenſent eum teneri offerre ſe ad manifeſtandam veritatem, etſi iterum non rogetur. Ducuntur, quòd ejus veritatis taciturnitas redundet in detrimentum accuſatoris, teſtium, & judicis; qui iniquè in ea cauſa proceſſiſſe cenſebuntur; ac vulgo ſcandali anſa datur, quòd exiſtimabit innocentem occidi. Deinde quia dum ſententia nondum eſt executioni mandata, reus eſt ſub judicis poteſtate, & durat prior interrogatio. Tandem, quia in eo mortis articulo, in quo de æterna ſalute agitur, eſt neceſſariò conſulenda pœnitenti opinio, in qua nullum eſt peccati periculum, ne ſi fortè opinio, in qua ideſt, ei conſulatur, ſit coram Deo falſa, damnetur. Et ideò hanc tenent *Corduba ſumma q.64. punct.?. verſ. Y. aunque, Metina lib.1. ſumma c. 14. §.35. fol.179. in initio, Petrus de Ledeſ. 2. tomo ſumma, tract.8. c.24. poſt 2. concl. dub.2. Vega 2. tomo ſumma c.89. caſu 2. in fine, & caſu 3.* ubi ait hujus ſententiæ fuiſſe fratrem *Orellana, Bannez, & Salon.* allegati *nu.7.* Et videtur tenere *Angles ibid.* relatus, ubi ait durante judicio non eſſe abſolvendum, qui negavit, ſecùs eo finito, quando eſt abſolutus, ubi contrarium videtur tenere, ſi damnatus eſt.

11 At dicendum eſt ad id minimè teneri, niſi in aliquo ſpeciali caſu notabile alicui tertio damnum ſequeretur, quem caſum rariſſimum fore credo, imò moraliter impoſſibilem. Probatur deſtruendo oppoſita fundamenta. Primò, quia non tantùm non durat interrogatio judicis, imò nec poteſt lata ſententia interrogare, utpote qui functus eſt officio ſuo, & reputatur quaſi perſona privata, *l. Judex 55. ff. de re judicata*, ibi: *Judex poſteaquam ſemel dixit ſententiam, judex eſſe deſinit.* Et paulò inferiùs, ibi: *Semel enim malè, ſeu benè, functus eſt officio.* Et *c. Cum Joannes 10. §. ad hoc de fide inſtrum.* ibi: *Cum Judex, qui uſque ad prolationem ſententiæ debet univerſa rimari, poſſit interrogare de facto, quoties dubitationis aliquid occurrit.* Ergo à contrario ſenſu nequit poſt prolatam ſententiam aliquid rimari, vel interrogare. Secundò, quia cum jam omnino judicium terminatum ſit, & reus jam damnatus, ceſſat finis interrogationis, qui eſt ad illum reum damnandum, vel abſolvendum. Tertiò, quia nullatenus ſequitur infamia aliqua judici, accuſatori, aut teſtibus. Cum omnibus notiſſimum ſit ſolitos eſſe reos delicta negare; imò, ac puſillanimes, ac ſtulti habentur, ſi id fateantur. Et præſumptio ſtat pro judicis ſententia *c. Conſanguinei 11. & c. Cauſam, 14. de ſent. & re judicata*, & latiſſimè *Maſcardus concluſ.1302. num. 3.* Nec juſtitia præteritæ ſententiæ pendente ex futura delinquentis jam damnati confeſſione, ſed ex actis in proceſſu, per quæ eſt illa lata. Quartò, quia in ſolis requiſitis ad valorem ſacramenti neceſſarii ad ſalutem tenet verum in articulo mortis ſequendam eſſe opinionem, in qua nullum eſt periculum, ne valor ejus ſacramenti periculo exponatur, & ſic æger abſque vero ſacramento recepto recedat; in aliis autem id non eſt neceſſarium, ſed ſatis tutè poteſt amplecti opinionem minùs tutam, ſi ſit probabilior, aut probabilis. Quia in ea amplectenda nil eſt periculi; etſi enim ea coram Deo ſit falſa, excuſabitur eam ſequens ignorantia invincibili; aliàs conſtitutus in mortis articulo obligandus eſſet reſtituere

tuere in omnibus caſibus, in quibus ſunt opiniones, etſi opinio multò probabilior illum onere reſtituendi liberaret. Quippe in reſtituendo nullum eſt periculum in carente ſaltem hæredibus neceſſariis. Quintò, quia hanc ſententiam amplectendo occurritur iniquæ aliquorum judicum calliditati, qui nondum convictum iniqua mortis pœna damnant, ſperantes fore ut in ultimo agone delictum fateatur, ut vel ſic coram vulgo excuſationem habeat; vel denegant appellationem, quod his diebus contingit Malacæ admonito tabellione, ut ſi in patibulo delictum confiteretur, ſuſpenderetur, ſin minùs ad carcerem reduceretur. Quod iniquiſſimum eſt, cum juſtitia ejus ſententiæ, & denegatio appellationis non pendeant ex ea confeſſione, ſed ex ſolis actis in proceſſu. Atque iniquum eſt velle medio confeſſionis ſacramentalis ad eam iniquitatem uti; atque anſam præbebit delinquenti negandæ veritatis, freto ſpe evadendi mortem. Quòd ſi confeſſor illi dicat teneri eum ſub mortali fateri, damnabitur reus ille negans, ex conſcientia erronea, qua ex confeſſoris dictis credebat, aut credere debuit ad id teneri, nec fecit ſpe vitæ. Tandem, quia frequentiſſima Theologorum ſententia habet reum non teneri veritatem fateri, niſi ipſi aperiantur ſtatus cauſæ, & quæ in proceſſu contra ipſum probata ſunt, ut vel ſic certò illi conſtet juridicam eſſe interrogationem. Ut poteſt videri in *Soto de ſecreto, membro 2. quæſt.7. verſic. At verò quia, Navarr. ſumm. cap.25. n.35. & 36. Cajet. 2.2. q. 69. art.2.* quem *ibi* univerſi ſequuntur. Hoc autem judices reum interrogantes nunquam ſolent facere freti alia juriſperitorum quorumdam ſententia dicentium id non exigi. Ergo ſaltem ſequendo communem Theologorum ſententiam poſſet hic reus ab ea delicti confeſſione excuſari, etſi rationes prędictæ non urgerent. Et ideò hanc partem tuentur *Navarr. ſumm. Latina cap.25. num.38. Hiſpana cap.28. additione ad n. 36. cap.25. Segura in directorio judicum 2. part. cap. 14. nu. 36. Salzedo additionibus ad practicam Bernardi Diaz, cap.126. verſic. Tertiò, Manuel de ordine judiciario cap.10. num.2. Navarr. l.2. de reſtit. cap.4. in nova editione 2. part. dub.2. nu. 36. & 3. part. dub.15. n.213. Emmanuel Sà ſumma verb. Judiciales actus, ubi de peccatis rei, n.5. Sayro in clavi regia, l.12. c.17. nu.15. Philiarcus* relatus, *n.8.* Hinc excipiendus eſt, qui comburitur, eò quod hæreticus negativus ſit, neutiquam enim eſt abſolvendus, niſi publicè crimen fateatur. Et hoc quidem ratione ſcandali, eò quòd præſumitur in hæreſi decedere, & pertinax in negando, quare ſi verè reus eſt, tenetur crimen fateri, ut ſcandalum ceſſet.

12 Tandem dubitatur, an metu tormentorum, aut alia ratione falſum ſibi crimen imponens, ob quod moritur, teneatur in ſupplicii loco vel antea ſe retractare. Quidam affirmant, ducti ex *D. Aug. lib.1. de Civitate Dei c. 17. & 18.* & refertur *c. Si non licet 23. q.5.* qui textus nil probat, tantùm enim decidit non licere ſe occidere. Ita docent *Abbas c. Ex parte, el. 2. num. 2. de ſepul. Felin. c. Cauſam, n.7. de teſt. cogendis, Socin, repetitione ſuper c. Ad audientiam, de homicidio, D. Anton. 2. p. tit. 2. c. 2. §. 3. verſ. Quantum ad 4. Sylv. verb. Detractio, q. 3. n.4. & ibi Angel. in fine,* qui hunc eo ſolo caſu excuſat, quando timet torturam repetendam. At hoc verum eſt, quando res in eo ſtatu eſſet, ut ex retractione ſperaretur fore, ut ille mortem evadat. Cum enim vitæ dominus non ſit, tenetur ad vitam tuendam ſe retractare, at ubi ea ſpes deeſt, non tenetur. Quia eſt dominus ſuæ famæ. Et ita docent *Navarra lib.2. de reſtit. c.4. in nova editione, in 2. p. dub.1. n.25. & 26. Manuel. de ordine judiciar. c.11. numero ſexto, in fine,* qui benè addit ad id quoque teneri, quando niſi ſe retractet, infamia notabilis in alios redundaret. Quod intelligo, ſi ea retractatione ei damno obvietur. Quare credo in caſu rariſſimo, aut nullo, hoc obligaturum. Quia ubi ſemel quiſpiam eſt legitimè damnatus, retractatio nil proderit ad mortem evadendam, aut eam infamiam cavendam.

CAPUT VIII.

De juramento licitè exigendo à pejuraturo, aut per idola juraturo.

SUMMARIUM.

Qualis culpa ſit inducere ad jurandum, aut exigere, quando aut nullus comes, aut alii à veritate deſunt? n.1.
An judici integrum ſit exigere juramentum, ſciendo alterum pejeraturum? n.2.
Quid ſi non ad inſtantiam partis, aut non officio coactus, exigat, aut poſſit id vitare? n.3.
Quid de actore petente à judice exigi id juramentum? n.4.
Quid de privata perſona petente extra judicium? n.5.
Quid ſi alter ſit paratus ad pejerandum? n.6.
Quid ſi non ſit paratus; at adeſt legitima cauſa? n.7.
Quid de juramento promiſſorio, quando creditur fore, ut alter non impleat? Et an errent confeſſores petentes à pœnitente votum vel juramentum cavendi peccati? n.8.
Qualis debeat eſſe ſcientia perjurii, aut non adimplendæ promiſſionis? num. 9.
Quid de inducente alium ad jurandum, quod credit verum, ſi inducens ſciat eſſe falſum? n.10.
Poſt n.10. invenies alia ſummaria, quæ deficiunt.

1 DUplex petitur difficultas. Prior, quando liceat petere juramentum ab eo, quem pejeraturum creditur? Poſterior, quando ab eo, quem creditur juraturum per falſos deos? Circa priorem difficultatem, ſi loquamur de juramento, cui creditur defuturam ſolam juſtitiam, & judicium, manifeſtum eſt peccare petentem ea peccati gravitate, quæ in jurante reperitur, nempe, mortali, ſi eſt mortalis, & veniali, ſi eſt venialis. Quia cum nulla prorſus neceſſitas occurrere valeat exigendi hæc juramenta, inductio ad illa nullatenus excuſari valet. Quæ ratio idem probat, quantumvis alter paratus ſit ad ita jurandum. Nam etiam in parato exigitur legitima cauſa ex parte petentis. Ut dicemus *num. 6.* Poteſt autem eſſe, ut juramentum in ipſo jurante non ſit culpa; at in præbente cauſam illius, ſit culpa venialis. Ut optimè explicat *Suarez tomo ſecundo, de religione, tractatu de juramento, lib. tertio, cap. decimo quarto, numero tertio*, ut ſi alicui ſimpliciter affirmanti non creditur abſque cauſa, imò cum injuria, cui expedit, ut ſibi fides habeatur, non peccabit jurando; at præbens cauſam peccat venialiter. Quòd id juramentum, ut à jurante procedit, ſit neceſſarium; at ut à dante cauſam, ſuperfluum, & vanum. Quando autem juramento nullus deficit comes, licitum eſt ad illud inducere; ſicut & jurare tunc licet. Exigere autem hujuſmodi juramentum, ideſt, neceſſitatem jurandi imponere, eſt ſolius habentis id legitimam poteſtatem; ea autem deficiente peccabitur contra juſtitiam, non tamen contra juramenti religionem. Quia injuſtitia eſt, cogere quempiam abſque legitima in eum poteſtate; at nil ſit contra juramenti religionem, quando ei triplex ſuus comes adeſt. Et ita utrumque docet *Suarez eod. cap. decimoquarto, numero decimonono, & vigeſimo.*

2 Potiſſima autem difficultas eſt, quando creditur defuturam juramento veritatem. Et quidem ut clariùs procedamus, de triplici perſona petente hoc juramentum eſt ſeorſum agendum. Prima eſt judex; ſecunda, actor in judicio; tertia, perſona privata extra judicium. Et quidem ſi de judice loquamur, res eſt certa poſſe illum jusjurandum exigere ſervato juris ordine, quamvis norit jurantem pejeraturum. Quia judex utitur jure ſuo, & ratione officii legitimam juramenti exigendi cauſam habet, deſervitque ad juramentum ſcientiæ, quam judex ſequi tenetur, & ut legitimus ſit proceſſus, & ſæpè inſtante parte cogitur ratione ſui officii ad illud exigendum. Atque ita docent *Alenſis 3. p. q.31. membro 2. artic. 6. §. 1. D. Thom. 2. 2. q.98. art.4. corpore, & d. 39. quæſt. unic. art. 5. qu. 2. ad 2. & ibi. D. Bonav. in expoſ. litteræ, dub. 5. & art. 2. qu. 3. Ricardus ibi artic. 3. quæſtione tertia, Paludan. quæſt. 2. in fine, in ſolutione ad 2. Major. in quæſt. 3. concluſione 2. Gabriel qu. 2. artic. 3. dubio 1. Archidiaconus cap. Ille, num. 2. 22. q. 5. & ibi Bellamera, n. 1. Turrecr. num. unico, & c. Quamvis, 22. q. 1. n. 2. Bartholom. Socin. regula 210. jurare faciens, num. unico, Abulenſis c. 5. Matth. q. 298. D. Anton. 2. part. tit. 10. cap. 7. §. 3. Angel. verbo Juramentum, 3. num. 11. Sylv. verbo Juramentum, 2. q. 9. Armilla verbo Juramentum, n. 33. Tabiena verbo Jurare, q. 33. num. 34. & verbo Perjurium, q. 3. num. 4. Sotus l. 8. de juſt. qu. 2. artic. 4. concluſ. 3. Navarr. ſumma Latina, & Hiſpana cap. 12. n. 20. Covarr. de pactis 1. p. §. 6. num. 2. in fine, Pedraza ſumma, in ſecundo præcepto §. 7. Alcozer ſumma cap. 15. ad finem, verſic. Pedir a alguno, Toledo l. 4. ſumma cap. 21. num. 10. Sayro in clavi regia, l. 5. capit. 5. num. 1. Petrus de Ledeſma ſecundo tomo ſumma, tract. 11. cap. 5. ſtatim in principio, concluſione 3.* quam approbat *dubio ſexto, Azor. tom. 1. inſtitutionum moralium, lib. 11. cap. 11. quæſt. 2. Graffis 2. p. deciſ. lib. 2. cap. 4. n. 5. Suarez eodem cap. 14. n. 15. & 17. Leonardus lib. 2. de juſtitia cap. 42. dubio 10. numero 49. Philiarcus de officio ſacerdotis, tomo 1. part. 2. libro 3. capite 16. ad finem, Manuel. 1. tomo ſumma, in ſecunda editione, cap. 191. num. 6.*

3 Temperant quidam, ut intelligatur, quando judex ad partis inſtantiam ad juramentum exigit, ſecùs ſi propria ſponte. Quod probatur ex *c. Clericos 3. de cohab. cleric.* ubi interdicitur judici accipere juramentum dimittendi concubinam præſtitum à clerico, ob perjurii ſuſpicionem. Et ita clarè videntur ſentire *D. Thom. eo artic. 4. Ricard. Paludanus, Gabriel, Socinus, Abulenſ. D. Antoninus, Angel. Sylveſt. Tabiena verbo Perjurium, quæſt. 3. num. 4. Navarr. Sotus, Sayro, Petrus de Ledeſma* allegati *num. præcedenti, & Pedraza, & Manuel ibidem*, dum enim ajunt id licere judici, temperant quando ad inſtantiam partis petit. Atque *D. Thom.* reddit rationem his verbis: *Quia non videtur judex exigere, ſed ille, ad cujus inſtantiam exigit.* Quam eamdem tradunt *Ricardus, Paludanus, Gabriel, Div. Antoninus, Tabiena ibidem.* Atque expreſsè ſic temperant dicentes non licere, quando pars non petit, *Archid. & Bellamera, & Azor. numero præcedenti* allegati *Major in 3. d. 39. quæſt. 3. ad 2. Graffis eodem cap. 4. num. 17.* At exiſtimo id intelligendum, quando judex nulla legis aut partis neceſſitate coactus, ad juramentum exigeret, ſed ſponte ſua ad conſcientiam ſuam informandam. Quia cum nulla neceſſitas cogat, tenetur tunc inſtar perſonæ privatæ id proximi perjurium vitare. Secùs autem quando etſi pars non petat, tenetur judex ex officio lege ad id obligante, ad petendum juramentum. Ut contingit in cauſis criminalibus, quando judex etiam ex officio procedit. Ut poteſt videri in *Julio Claro libro quinto receptarum, in pract. criminali, quæſtione ſexta, numero penultimo.* Atque hoc ſatis indicant, *Durandus 3. d. 39. quæſtione quinta, in ſolutione ad 2. & ibi*

Palud.

Palud. q.2. artic. ult. ad 2. Turrecr. c. Quamvis, n. 2. in ſolutione ad 3. 22. q. 1. ubi reddentes rationem, cur judex ad inſtantiam partis hoc juramentum exigens non peccet, ajunt id evenire, quòd hæc exactio non ſit judicis, ſed partis, & legis; ubi clarè ſignificant eum culpa liberari, quoties pars, vel lex ad id cogunt. Et clariùs *Alenſis* citatus *num. 2. & Turrecr. eodem num. 2. in corpore*, ubi dicunt eum excuſari, quoties cogitur ordine judiciario, ita ut non exigens juramentum omitteret aliquid ex pertinentibus ad ordinem judiciarium. Et *Leonardus, & Philiarchus* citati *numero præcedenti*, ubi dicunt excuſari, quando pars poſtulat, vel aliàs ratio officii id exigit. Quare ſi judex poteſt aliqua via non deficiendo ſuo muneri vitare petitionem hujuſmodi juramenti, tenetur ad id, ut vel ſic peccatum proximi vitet. Et ita docent *Alenſis, Turrecrem. Azor. Leonardus, Philiarcus ibidem Suarez eodem capite decimoquarto, numero decimoſeptimo, ad finem*, Quod clarè *D. Thom.* & reliqui cum eo citati indicant, ſolum enim excuſant judicem, dum neceſſitate officii cogitur.

4 Rurſus de actore in judicio eſt difficultas: Quia eum peccare tradunt *Major in 3. d. 39. q. 3. ad 2. Petrus de Ledeſma 2. tom. ſummæ, tractatu 11. cap. 5. dub. 6. in ſolutione ad 3.* Et colligitur clarè ex *D. Thoma*, & reliquis *num. præcedenti in initio* alleg. quatenus excuſant judicem ad inſtantiam partis exigentem id juramentum, eò quòd non ipſe, ſed pars cenſeatur exigere. Quare partem ipſam videntur damnare, eò vel maximè, quòd *ibi* abſolutè damnent privatam perſonam id juramentum petentem, qualis communiter ſolet eſſe actor. Atque eumdem ait peccare *Abbas c. Clericos num. 2. de cohabit. cleric.* Ducuntur autem, quod judex ſola officii neceſſitate coactus excuſatur; at pars nequaquam cogitur. Adde nullam ex eo perjurio utilitatem ſequi parti ad jus ſuum obtinendum. Ex alia autem parte videtur culpæ immunis. Quia communis ſententia habet nullam culpam incurri petendo id, ad quod jus juſtitiæ quis habet, etſi nulla neceſſitate cogatur, & norit alterum exhibendo peccaturum. Ubi tradunt Doctores aſſerentes petentem ſacramenta à ſuo parocho iniquo, nulla utilitate ductum eſſe à culpa liberum, eò quòd jus ſuum petat. Ut poteſt videri in *Soto 4. dist. 1. quæſt. 5. ar. 6. columna decima, concluſione ſecunda & tertia*. Cum erga actor hic jus juſtitiæ habeat ad exigendum rei juramentum medio judice, nec ipſe velit, ut falſum juret, non erit culpæ reus, utpote qui jure ſuo utitur, etſi credat fore, ut alter pejeret, nec utilitatem aliam ipſe actor inde comparet. At dicendum eſt, id neutiquam licere actori, quando id juramentum non conducit ad ſuum jus tuendum. Ut contingit aliquando in rebus civilibus; ſecùs quando ad id conducit, ut contingit in criminalibus, & aliquando in civilibus. Probatur, quia licitum eſt ab aliquo petere id, quod ipſe benè poteſt præſtare, quando petentem cogit neceſſitas. Sicut à *num. 11.* probabimus hac ratione licere petere juramentum à juraturo per falſos deos, & mutuum ab exacturo uſuras, quando petens neceſſitate compellitur, ſecùs ubi nulla eſt neceſſitas. At ſæpè actoris intererit ad jus ſuum tuendum, id juramentum exigi à reo. Ut quia confeſſione hac minimè petita nequit cauſa illa decidi, nec ad ſententiam veniri. Poteſt etiam actor perjurio illo rei uti in ſuum commodum; verbi gratia, ad ejus fraudes detegendas, & fidem ei detrahendam, ut ſic injuriam evadat, aut jus obtineat, illumque poſtea convincat, quando alia via nequit commodè. Ergo in hoc neceſſitatis caſu id licebit actori, ſecùs autem neceſſitate ceſſante. Et hoc conſtabit clarius ex dicendis *num. 7.* ubi qualis hæc neceſſitas excuſans debeat eſſe, declarabimus. Et *numero ſequenti* dicemus, qualis culpa ſit abſque neceſſitate hoc iuramentum exigere. Atque ita docent *Suarez tom. 2. de religione, tractatu de iuramento, lib. 3. cap. 12. num. 13. Leonardus lib. 2. de iuſtitia, capite 42. dub. 10. num. 47.* Nec obſtat auctoritas Doctorum adducta pro priori parte contraria. Quia ut ex eorum ratione conſtat loquuntur, quando id iuramentum exigi non intereſt actoris. Nec obſtat etiam alia doctrina adducta pro poſteriori parte. Tum quia prædictam doctrinam de miniſterio ſacramentorum ex officio non approbo. Et benè reprobat illam *Suarez 3. tomo in 3. part. quæſt. 65. artic. 4. diſputatione 18. ſect. 1. colum. 7. corollario primo*. Quia etſi ſecundùm iuſtitiæ rigorem unicuique liceat petere ab altero ius ſuum; at lex charitatis ad id non petendum adſtringit, quoties nil petentis intereſt, & maximum inde detrimentum proximo ſequitur, & quamvis proximus ille in neceſſitate phyſica conſtitutus non ſit, cum poſſit benè miniſtrare ſacramentum, aut benè iurare, & ex prava ſua voluntate peccet; eſt tamen in neceſſitate morali, & miſeria ſatis gravi. Tum etiam, quia admiſſa ea doctrina non eſt eadem ratio. Quippe parochus tenetur ex officio ad ſacramenta miniſtranda, ac videtur durum obligare ſubditos ad miniſtrum voluntarium quærendum, ob proprii parochi malitiam; ſubditorumque intereſt non fraudari ſuo jure, & perceptione debiti à vero debitore. At reus, verbi gratia debitor pecuniæ non tenetur ex officio iurare debitum, & nullam prorſus ex eius periurio utilitatem creditor conſequitur. Adde ſubditos habere directè ius percipiendi ſacramenta à parocho, quo iure privandi eſſent ob eam parochi malitiam. At creditor non habet directè ius ad debitoris iuramentum, ſed quatenus ad debitum recuperandum confert, quare quoties non confert, quia ſcitur alterum peieraturum, nullo jure fraudatur.

5 Demum perſona privata petens extra judicium id juramentum, ſciens fore, ut alter pejeret, peccat. Ita docent *D. Aug. ſermone 11. de ſanctis*, & refertur *cap. Ille 22. q. 5. & ſerm. 28. de verbis Domini*, & refertur *c. Qui exigit 22. q. 5. & D. Th.* univerſique DD. allegati *n. 2.* Atque rationem diverſitatis inter juramentum verum per falſos Deos, & inter perjurium reddunt *D. Aug. epiſt. 154. ad Publicolam, & D. Th. 2. 2. qu. 98. art. 4. ad 4. D. Bonav. 3. d. 39. art. 2. q. 3. ad 2. Sotus l. 8. de juſtitia q. 2. art. 4. ad finem corporis, Aragon. 2. 2. q. 89. art. 6. dub. 2. in ſolutione ad 2. Sayro in clavi regia, l. 5. c. 3. n. 20. & c. 5. nu. 2.* Quia tunc integrum eſt ab aliquo petere id, quod licitè poteſt facere; at non eſt abſque peccato facturus, quando in petente reperitur aliqua neceſſitas ratione alicuius utilitatis ſibi conſurgentis ex opere illo faciendo cum peccato; hoc autem reperitur in iuramento per falſos deos; nam per illud confirmatur veritas, & firmantur pacta cum paganis inita; in periurio autem nulla reperitur utilitas, quia finis iuramenti, qui eſt confirmatio veritatis, evertitur omnino, & conſequenter non firmatur fides. Et ideò licitum eſſe aiunt petere iuramentum à pagano, quem ſcitur per falſos deos verè iuraturum, non autem à quocumque, quem peieraturum ſcitur. Atque culpa petentis hoc iuramentum à peieraturo eſt mortalis. Quia abſque cauſa iuſta conſentit periurio proximi, imò occaſionem eius offert. Quod apertè docet *D. Aug. eo. ſerm. 11. de ſanctis*, ubi ait hunc necare animam ſuam, & peierantis, *& ſermone 28. de verbis Apoſtoli*, quem *D. Tho.* & reliqui Auctores citati *num. 2.* ſequuntur, ac referunt, dum ait hunc eſſe animæ iurantis homicidam. Et in propriis terminis tradunt *D. Bonav. qu. 3. corpore, Angelus Div. Antoninus, Sylveſt. Armilla, Navarrus, Sotus, Turrecr. eo c. Quamvis, num. 2. Alcozer, Pedraza, Manuel, Sayro eo cap. 5. n. 2. Suarez eo cap. 14. num. 14. Toledo, Petrus de Ledeſma concl. 3. Graffis num. 2.* ubi eos *num. 2.* retuli.

6 Atque hoc aliqui extendunt, ut non liceat juramentum à peieraturo petere, quamvis ille ad peierandum paratus ſit, ſeque ſponte offerat. Quod apertè indicat ratio diſcriminis tradita à D. *Aug. & D. Thom.* & aliis, relata *num. præcedenti* inter petitionem iuramenti veri per falſos deos, & periurii. Si enim hoc nulli uſui deſervire poſſit, nulla neceſſitas, aut utilitas in petente erit, ac proinde peccabit occaſionem illius periurii externi aliàs non committendi tribuens. Atque ita docent, etſi non ita clarè, *Antonius cap. Clericos, num. 2. de cohabit. cleric. & ibi Imola n. 1.* & in propriis terminis docent *Maior. in 3. d. 39. qu. 3. concluſione 1. & ibi Gabriel qu. 2. art. 3. dubio 1. Petrus de Ledeſm. 2. tom. ſummæ, tractatu 11. c. 5. dub. 6. ad 1. in fine, Tabiena verb. Jurare nu. 34. q. 33.* At hæc extenſio eſt vera, quando nulla eſt juſta cauſa eius iuramenti recipiendi; idque ſolùm probat ratio adducta; at concurrente ea iuſta cauſa (ut *num. ſequenti* probabimus poſſe concurrere) nulla eſt culpa. Quod conſtabit ex dicendis *num. ſeq.* Atque ita docent *Sylveſt. verb. Juramentum 2. qu. 9. Armilla verb. Juramentum numer. 33.* Driedo *lib. 1. de liberrate Chriſtiana, in mea editione c. 9. ad finem, Navarr. ſumma Latina, & Hiſpana c. 12. nu. 20. Graffis 2. p. deciſionum lib. 2. c. 4. in fine, Sayro in clavi regia, lib. 5. c. 5. n. 4. Suarez tomo 2. de religione, tractatu de juramento, lib. 3. c. 14. n. 15. in fine, Angelus, Philiarcus, Manuel.* ubi allegati ſunt *n. 2.* Quamvis enim *Angelus, Sylv. Armilla, Graffis*, tantùm dicant hunc non peccare mortaliter; at ratio, quam afferunt, probat nec venialiter; & reliqui Auctores abſolutè dicunt hunc non peccare. Quod idem ſatis apertè indicat *Sotus lib. 8. de iuſt. qu. 2. art. 4. ad 2.* ubi dicens petentem hoc iuramentum à ſic parato non peccare; ſubdit teneri petentem præcepto correctionis fraternæ vitare, & monere illum, ut deſiſtat, ſi ſpes ſit emendæ. Nam ratio huius eſt, quia in hoc caſu nulla eſt in petente neceſſitas. Quòd ſi petas, an ſit mortale petere iuramentum à ſic parato ad peierandum, abſque ulla neceſſitate, vel utilitate petentis, conſtabit ex dicendis *num. 23.* de petente mutuum ab uſurario, abſque ea neceſſitate; ſimilis enim eſt caſus. Quamvis adhuc dicendo in eo caſu non eſſe mortale, credo in hoc caſu eſſe mortale. Nam in mutui petitione ſub uſuris, & iuramenti ab idololatra, aliqua petentis utilitas regulariter reperitur; ſecùs autem in hoc periurio. Ut ex mente D. *Auguſt. & Thom.* retuli *n. præcedenti*. Et ita eſſe tunc mortale docet *Suarez eodem cap. 14. num. 14.*

7 Sed maior difficultas eſt, quando ille peieraturus non erat actu paratus; at eſt neceſſitas in petente. Videtur enim id nullatenus licere. Quia omnes Auctores relati *numer. 2.* conſtituunt diſcrimen inter iudicem petentem id iuramentum, & perſonam privatam, ut illi liceat, non autem huic. At nec judici licet, niſi quando neceſſitate officii cogitur ad petendum. Ut diximus *n. 3.* Ergo ne vanum ſit diſcrimen, eſt negandum id licere privato, etiamſi iuſta petendi neceſsitas adſit. Præterea corruit diſcrimen traditum à D. *Auguſt. & D. Thom.* & aliis, quos retuli *n. 5.* dum dicunt non licere petere juramentum à peieraturo; at licere à iuraturo verum per falſos deos. Nam ſi intelligatur abſque ulla neceſsitate, aut utilitate petentis, neutrum licet. Si ergo ex ea licet utrumque, nulla eſt differentia. Verùm dicendum eſt licere concurrente cauſa juſta neceſsitatis eius iuramenti, quamvis alter ſit peieraturus, nec eſſet paratus ad peierandum. Ratio eſt, quia ab eo non petitur periurium ſed iuramentum, quod verè præſtare poteſt, & id intendit petens, utpote quod ſibi magis conducit;

ducit; & ſequitur magna utilitas petenti ex eo juramento, ut ſtatim probabo, qua non tenetur cedere ad vitandum perjurium ex alterius malitia commiſſum. Quare nulla eſt in hoc caſu inductio ad perjurium, nec conſenſus in illud, ſed quædam illius permiſſio, quæ aliquando ob bonum finem, & ad proprium jus obtinendum eſt licita. Nec lex charitatis obligat cum proprio notabili diſpendio ad vitandum id proximi peccatum, quod ſua malitia perpetrat. Poſſe autem reperiri hanc utilitatis, & neceſſitatis cauſam in eo juramento petendo partim conſtat ex dictis *num. 4.* & oſtenditur modò ſic. Quia poteſt quiſpiam alterius cauſam agere, & ratio adminiſtrationis petit exigi id juramentum, & niſi petatur, arguetur prævaricationis exiſtimatæ, aut negligentis adminiſtrationis. Inſuper poteſt deſervire id juramentum confirmando contractui, qui aliàs infirmus erit: & quamvis credatur jurantem fore periurum non implendo, aut carendo implendi animo, erit neceſſarium id juramentum ad dandas contractui vires neceſſarias ad petendum coram judice eum impleri. Et ita hujus ſententiæ videtur apertè *Leonardus l. 2. de juſtitia c. 42. dub. 10. nu. 49.* nam indiſtinctè docet licere petere hoc juramentum. Et in propriis terminis docet *Suarez tom. 2. de religione, tract. de juramento, lib. 3. cap. 14. num. 16.* Nec obſtant contraria; quia ad primum optimè ait *Suarez eo c. 14. n. 17. ad finem* in hoc conſiſtere diſcrimen inter judicem, & privatum, quia judici per ſe, & quaſi ex officio licet petere id juramentum, non obſtante perjurii ſcientia, & ideò regula moralis eſt, ut illi communiter liceat, & ſpecialis limitatio ſit, niſi in aliquo peculiari caſu id juramentum vitare poſſit. (Ut diximus *nu. 3.* At verò in privato regula moralis eſt, ut communiter non liceat; & exceptio peculiaris eſt, niſi in caſu peculiari neceſſitas petentem cogat. Ad ſecundum optimè etiam dicit *Suarez eo cap. 14. n. 17.* eodem modo illam differentiam intelligi moraliter, & regulariter. Quia enim ea utilitas regulariter invenitur in juramento vero per falſos deos, ideò regulariter eſt licitum petere id juramentum à pagano, quamvis ſciatur fore, ut per falſos deos juret, & exceptio peculiaris eſt, ubi ea utilitas ceſſaret. At quia regulariter ea deficit in pejurio, ideò regulariter non licet privató petere juramentum ab eo, quem ſcit pejeraturum: excipitur tamen ſpecialis caſus, in quo ea utilitas ejus juramenti reperiretur. At levior neceſſitas exigitur ad petendum id juramentum à parato, quàm à non parato; ad utrumque autem requiritur cauſa proportionata. Quia aliàs non eſſet ſola permiſſio, ſed moralis conſenſus. Sic *Suarez eo num. 17.* Non tamen oportet, ut ſi præciſa neceſſitas, ſed ſatis etiam eſt notabilis utilitas. Ut benè ait *Suarez eo cap. 14. num. 14.* Sicut etiam contingit in petente juramentum à pagano juraturo per Jovem, & mutuum ab uſurario. Ut dicemus à *n. 12.*

8 Hucuſque dicta de juramento aſſertorio, ſunt etiam dicenda de juramento promiſſorio, non enim id petere licet, quando creditur fore, ut alter non impleat. Conſtat ex *c. Clericos 3. de cohabit. cleric.* ubi interdicitur peti à clericis juramentum dimittendi concubinas, ob tranſgreſſionis periculum. Item, quia idem periculum eſt peccandi mortaliter non ſervando fidem juramento datam, ac in perjurio aſſertorio rei falſæ. Et ita tradunt *Abb. eo cap. Clericos n. 2. Angel. Sylveſt. Navarr.* ubi eos *num. 2.* retuli, *Sayro in clavi regia, l. 5. c. 5. n. 3. Graffis 2. p. deciſionum, lib. 2. cap. 4. n. 11. in fine, Suarez eo. c. 14. num. 18.* qui intelligit, niſi cauſa juſta adſit ex parte petentis. Sicut etiam in juramento aſſertorio contingere diximus *num. præced.* Hinc deducitur imprudenter agere confeſſarios à pœnitentibus petentes juramentum, aut votum deſiſtendi ab aliquo crimine. Quia eos tranſgreſſionis periculo exponunt. Atque ita docent *Sylveſt. Navarr. Sayro, Graffis, & Suarez ibid. Idem Navarr. ſumm. c. 26. n. 25. Philiarcus de officio ſacerdotis, tom. 1. p. 2. l. 3. c. 16. ad finem.* Addit *Nav. eo nu. 25.* conſilium eſſe, ut eos jurare, aut promittere faciant aliquam pœnam, ſi reincidant. Sed hoc non approbo ratione ejuſdem periculi.

9 Sed ſupereſt explicandum, qualis ſcientia perjurii alterius exigatur, ut non liceat ab eo juramentum petere, ſecluſo neceſſitatis caſu? *Sotus l. 8. de juſtitia qu. 2. art. 4. in fine corporis*, ait non ſufficere id ſuſpicari, aut opinari cum alterius partis formidine, ſed exigi probabiliſſimam conjecturam convincentem ad credendum more humano. Ducitur, quòd ea formido exiſtimandi fore, ut alter juret, aliquod exigenti jus tribuat. Sed dicendum eſt non ſat eſſe dubium. Quia in dubio non eſt præſumenda iniquitas. At ſatis eſt probabiliter id credere. Quia ea probabilitas eſt ſcientia moraliter. Et ita docent *D. Thom. 3. diſt. 39. quæſt. un. art. 5. quæſt. 2. ad 2. & ibi Gabriel. qu. 2. art. 3. dub. 1. Abulenſis c. 5. Matth. q. 298. ad 2. D. Ant. Sylveſt. Arm. Alcozer, Toledo*, ubi eos *n. 2.* retuli, *Tabiena verb. Jurare, qu. 33. num. 34. Sayro in clavi regia, l. 5. c. 5. n. 2. & 3. Suarez eod. c. 14. n. 9. juncto n. 14.* Imò & vehemens ſuſpicio ſatis eſt. Ut tradunt *D. Thom. Sylv. Abulenſis, Tabiena, Suarez eo. n. 14. Angel. verb. Juramentum 3. n. 11. Graffis 2. p. deciſ. l. 2. c. 4. n. 11.* & ſatis indicant *Antonius c. Clericos n. 2. de cohab. cleric. & ibi Abb. n. 2. Imola nu. 1.* dum ex eo textu colligunt ſuſpecto de perjurio non eſſe deferendum juramentum. Quare dum *D. Aug. ſerm. 28. de verbis Apoſt.* non audet culpa liberare neſcientem, an alter benè juraret; id dicit, ut benè ait *Sotus eod. art. 4. paulò poſt principium*: quia frequenter id juramentum petitur abſque neceſſitate, & ob id eſt veniale.

10 Tandem obſervandum eſt, minimè quoque alicui licere eum ad jusjurandum inducere, quem ſcit falſum re ipſa juraturum, ſed bona fide deceptum, exiſtimando id eſſe verum. V. g. ad tuendum meum jus certum mea intereſt aliquid verum probare. Eſt aliqua circumſtantia, quam quiſpiam bona fide reputat veram. At ego ſcio non ita eſſe. Non licebit mihi eum inducere, ut id, quod bona fide verum putat, juret. Quia etſi jurans non juret falſum opinione ſua; at jurat, quod reipſa falſum eſſe non latitat inducentem. Quare inducens à crimine perjurii non excuſatur, cum inducat ad afferendum Deum in teſtem rei in ſe falſæ. Atque ita docent *Azor. tom. 1. l. 11. inſtit. moral. c. 11. qu. 2. & Suarez eod. c. 14. n. 8.* Et quamvis tantùm dicant id non licere; nec exprimant, qualis culpa ſit; at credo eſſe mortalem. Id enim ratio dicta probat: Si tamen abſque inductione aliqua mea ille ſe offerat ad jurandum id, quod bona fide putat eſſe verum, etſi ego falſum norim, & conducat ad probandum, quod ſcio eſſe verum, & ne jure meo defrauder, licebit utique acceptare. Quod conſonat dictis *num. 6.* Eò vel maxime, quod in illo caſu jurans peccat mortaliter, cum ſe pejerare norit; at in hoc, nec venialiter peccat ratione bonæ fidei; & acceptans, qui eam circumſtantiam falſam novit, habet ſe paſsivè, nec utitur eo teſtimonio ad falſum aliquid probandum, ſed quod verum eſt, ac jus ſuum tuendum; quamvis ea circumſtantia ſit falſa.

SUMMARIUM.

An liceat juramentum ab ethnico exigere, quem ſcitur per falſos deos juraturum? n. 11.

An ſit idem cenſendum de hoc caſu? Et de petente mutuum ab uſurario, ſciendo fore, ut exigat uſuras? Et an ut hac petitio juſta ſit, deſideretur juſta cauſa? n. 12.

Qualis ſit hac cauſa, latè explicatur, à numero 12. uſque ad 17.

An deſideretur major cauſa, quando uſurarius non ex malitia, ſed ex fragilitate peccaturus eſt? n. 18.

An liceat petere id mutuum, vel id juramentum, etſi alter paratus non ſit ad id, & major cauſa tunc deſideretur? n. 19.

An ſolutio uſurarum poſtea facta indigeat juſta cauſa, ut licita ſit? num. 20.

Qualis cauſa deſideretur, ut liceat ab infideli petere juramentum, quando ſcitur eum per falſos deos juraturum? n. 21.

Quale peccatum ſit, abſque cauſa juſta petere id mutuum ab uſurario parato? Refertur quadam ſententia, n. 22.

Explicatur ſententia Auctoris, n. 23.

An ſit idem dicendum de petente ab infideli juramentum, qui paratus eſt ad jurandum per falſos deos? Et qualis ſcientia peccati proximi deſideretur? n. 24.

An liceat inducere expreſsè, ut mutuet ſub uſuris? Et quando cenſeatur inductio? n. 25.

An liceat petere expreſsè mutuum ſub uſuris? Refertur quadam opinio, num. 26.

Proponitur ſententia Auctoris, n. 27.

An ſit idem ſentiendum de petitione corporis à ſcorto? n. 28.

An liceat id petere ab uſurario, quando aliquoties gratis mutuat? num. 29.

An major cauſa deſideretur ad petendum mutuum expreſsè ſub uſuris, quàm abſolutè? n. 30.

An ſit idem prorſus dicendum, quando petitur expreſsè ab infideli, ut juret per falſos deos? n. 31.

An ut id juramentum licitè petatur, oporteat infidelem habere notitiam veri Dei? n. 32.

11 POſterior difficultas eſt. An liceat juramentum ab ethnico exigere, quando exigens novit fore, ut per falſos deos juret? Hac in re certiſsimum eſt, id licere, quando exigens neceſsitate cogitur. Quia hoc non eſt cooperari peccato illius, ſed juſta ex cauſa illo uti, in propriam utilitatem. Cum petatur juramentum, quod licitè præſtare poteſt per verum Deum, & ex malitia ſua malè præſtat. Quare ea juramenti petitio tantùm eſt offerre materiam ex ſe licitam, qua alter ex malitia ſua abutitur ad peccandum. Quod licitum eſt, quando juſta offerendi cauſa adeſt. Et ita docent *D. Aug. Epiſt. 154. ad Publicolam*, & refertur *cap. Movet te 22. q. 1. & D. Thom. 2. 2. q. 98. art. 4. ad 4.* ab omnibus receptus.

12 Triplex autem eſt difficultas circa hoc. Prima eſt, quanta neceſſitas in exigente juramentum deſideretur, ne ipſi culpæ tribuatur anſa peccandi infideli data, jurando per falſos deos. Quod quidem in hac peculiari materia pauci tractant DD. ſed in alia omnino ſimili, & quas communiter conjungunt, ex una ad alteram argumentum deducunt. Nempe, in petente mutuum ab eo, quem ſcit fore, ut ad uſuras mutuet. Ut conſtat ex *D. Thom. 2. 2. quæſt. 78. articulo quarto, corpore, & ibi Cajetano*, & ex omnibus Doctoribus allegandis. Quippe eadem eſt utriusque ratio. Cum in utroque caſu res licita petatur, alterque ex malitia ſua petitione abutatur. In petente ergo mutuum ab uſurario dicunt DD. nomine neceſſitatis excuſantis à culpa eam petitionem non comprehendi ſolam extremam, aut gravem, ſed etiam quamvis utilitatem pertinentem ad ſtatus decentiam: ad quam ea pecunia mutuo accepta eſt neceſſaria, nec aliunde facilè haberi poteſt. Quia præceptum charitatis vitandæ occaſionis illius ruinæ proximi, non adeò

ſtrictè

ſtrictè obligat, ut teneatur ob illud quiſpiam ſtatum, & proprium honorem negligere. Atque ita docent *Durand. 3. d. 37. q. 4. n. 4. & ibi Palud. q. 2. art. 1. poſt 3. concluſionem, D. Ant. 2. p. 1. 1. c. 9. §. ult. in fin. Caietan. 2. 2. q. 78. art. 4. paulò poſt principium. Sylveſt. verb. Uſura 7. q. 1. Sotus l. 6. de iuſt. qu. 1. art. 5. paulo poſt principium, dub. 1. Molina tom. 2. de juſt. diſp. 335. col. 1. concl. 5. Valentia 2. 2. diſp. 5. q. 21. punct. 4. col. 3. verſ. Hic autem duo, Bannez 2. 2. q. 78. art. 4. ſtatim in principio, dub. 3. & ibi Aragon. dub. 1. concluſ. 2. & ibi Salon. controv. 3. notabili 2. & concl. 1. Petr. de Ledeſ. 2. tom. ſumm. tract. 8. c. 33. poſt concluſionem 29. dub. 2.* Quare ſcrupuloſè ſatis locutus eſt *Ricard. 4. d. 15. art. 5. q. 5. ad ult.* dicens eam neceſſitatem exigi, ut ea pecunia ad uſuras non petita notabile damnum ſequeretur, notabiliſque penuria patienda eſſet.

13 Sufficit autem, ſive ea neceſſitas ſit propria, ſive aliena, cui accipiens ſub uſuris ſubvenire vult. Ut docet *D. Th. 2. 2. q. 78. art. 4.* ab omnibus receptus.

14 Ex his deducitur primò, ſufficere quoque utilitatem propriam. Ut benè docent *Caiet. Bannez, Salon. Salon. Petr. de Led. n. 12.* alleg. *Emmanuel Sà in ſum. verb. Uſura n. 5.* Imò & utilitas aliena ſufficit. Ut benè docet *Caiet. ibi.*

15 Secundò deducitur, comprehendi nomine hujus neceſſitatis, aut utilitatis, pecuniam neceſſariam ad torneamenta, ludos, & ſpectacula honeſta, quando alii eiuſdem ſtatus ad ea exhibenda concurrerent: indecorumque quodammodo eſſet exigenti pecuniam ad uſuram illos non ſequi. Quia hæc omnia ad ſtatus decentiam pertinent. Ita docent *Sotus, Aragon. Salon. Petrus de Ledeſma* alleg. *n. 12. Molina ead. diſp. 335. col. 2. verſ. Utrum autem.*

16 Tertiò deducitur, qualiter intellgendum ſit quod fertur *D. Thom.* reſpondiſſe lectori cuidam Florentino, nempe, non eſſe cauſam juſtam hujus, voluntatem copioſiùs negotiandi. Id enim intelligendum eſt, quando negotiator ſufficientia omnino haberet ad vitam decenter tranſigendam: ſolaque majoris lucri aviditate ad eam pecuniam ſub uſuris accipiendam duceretur. Ita docent *Durandus, Palud. Div. Anton. Caiet. Sotus num. 12.* alleg. *Sylveſt. verb. Uſura 7. qu. 1. Tab. verb. Uſura 8. num. 3. quaſt. 2. Navarr. ſumm. cap. 17. num. 262.* Imò (ut optimè ait *Valentia eo punct. quarto, colum. tertia, verſicul. Quapropter,*) non tantùm ſpectandum eſt, an ea pecunia ſit neceſſaria ad præſentem negotiatoris ſtatum: ſed etiam quando judicatur rationabiliter eam pertinere ad augendum ſtatum: ſecùs quando hoc non judicatur. Ut ſi ſtatus, quem negotiator cogitat, non deceat ipſius perſonam, nec putetur fore, ut moraliter illum áſſequatur. Atque ideò meritò judicatur, fruſtra, & ſine ratione velle illum copioſiùs negotiari, ut eum comparet.

17 Quartò deducitur, raròaccidere, ut quando aliquis petit mutuum ab uſurario gratia alicuius actus ſecundùm ſe liciti, peccet defectu huius neceſſitatis. Quippe communiter actus liciti referri poſſunt ad ſtatus decentiam. Quare defectus neceſſitatis huius communiter habet locum, quando petitur pecunia illa ad actus illicitos. Ita docet, *Valentia eo puncto 4. col. 3. verſic. Ex quo ſequitur.* Et ita *Gabriel 4. d. 15. quaſtion. 11. art. 3. dub. 14. Angel. verb. Uſura 2. numero ſecundo, Salon. d. controverſia 3. in 3. concluſione* ſolùm damnant hanc petitionem defectu neceſſitatis, quando eſt ad uſus illicitos.

18 Tria autem obſervanda ſunt. Primum eſt. Si uſurarius non ex mera malitia, ſed ex vehementi avaritiæ paſſione, eſſet uſuras petiturus: deberet quis etiam cum aliquo ſuo detrimento ab hac mutui petitione abſtinere. Quia tunc proximus eſt in maiori neceſſitate: & ideò tunc ſtrictiùs obligat præceptum charitatis de impediendo eo proximi peccato. Ita *Valentia eo puncto quarto, columna tertia, verſ. Adde quod.*

19 Secundum eſt. Etſi major cauſa deſideretur ad petendum id juramentum à non parato, & mutuum à non parato dare ad uſuras; ut in ſimili dixi *nu. 7.* at non eſt neceſſaria conditio, ut ille paratus ſit. Quare etſi infidelis numquam ſoleat jurare, at ſi fidelis interſit, ut illi juret, poteſt ab eo petere juramentum, ac compellere in judicio, ut ſibi juret, ſi cauſa compellendi adſit. Ratio eſt, quia cum illa petitio non ſit ex ſe inductio ad peccandum, nec cauſa peccati, nec habeat ſcandali activi rationem, eò quòd res juſta petitur, atque neceſſitas, vel utilitas magna cogit ad petendum; ſed ſit ſola quædam peccati malitia ſua peccantis permiſſio, non eſt neceſſaria conditio ad huius petitionis honeſtatem, ut alter paratus ſit. Quia tamen non paratus eſt remotior ab eo peccato perpetrando, quàm paratus, ideò major cauſa exigitur reſpectu illius. Atque ita hæc docet *Suarez* loquens de accipiendo juramento infidelis, *tom. ſecundo de relig. tract. de iuramento lib. 3. cap. 13. numero 7.* Et loquens de petente mutuum ab uſurario docet *idem Suarez tom. 3. in 3. p. qu. 65. artic. 4. diſput. decima octava, columna octava, corollar. ſecundo, verſiculo, Dixi autem,* aitque ſufficere ad id mutuum petendum magnam utilitatem. Et idem etiam dicit *ibi* de petitione huius juramenti.

20 Tertium eſt. Quidam intelligunt hactenus dicta de uſurario, non tantùm eſſe vera de acceptione mutui ſub uſuris petita abſque juſta cauſa: ſed etiam de ſolutione uſurarum poſtea facta. Sicut enim illa mala eſt, dum juſta cauſa deeſt: ita hæc quoque. Ratio eſt, nam ſimiliter cum poſtea ſolvitur abſque juſta cauſa, præbetur uſurario anſa ejus peccati committendi, quod accipiendo id pretium ratione mutui committit. Ita *Valentia eo puncto 4. col. 5. verſic. Jam de ſecundo.* Quod colligitur ex Doctoribus, quos *capit. 11. num. 4.* allegabo, qui ut eam ſolutionem licitam eſſe dicant, ac proinde juramentum illius faciendæ obligare defendat, eò confugiunt, quia redemptio vexationis concurrens ad redendam juſtam eam mutui petitionem cenſetur durare, donec ſolutio fiat. Quare clarè ſentiunt exigi quoque cauſam juſtam, ut ea ſolutio licita ſit: at ſufficere ad id cauſam eam, quæ à principio juſtam reddidit petitionem. Sed hoc non placet, ut dicemus *cap. 11. numero quinto.* Addo autem, quamvis ad petitionem ejus mutui cauſa juſta deeſſet, & ſic eſſet illicita, poſſe contingere, ut adſit cauſa juſta ad ſolutionem, ut hæc licita ſit. Quia vel eſt timor rixæ non ſolvendo, vel amiſſionis exiſtimationis promittentis, habebitur enim ac perfidus, nec fidetur ei.

21 Ex his deducitur, quid dicendum ſit in præſenti quæſtione, de neceſſitate petita ad petendum juramentum ab ethnico juraturo per falſos deos. Quidam dicunt ob bonum publicum id licere, non autem ob privatum. Sic *Abulenſis 3. parte quaſt. trigeſimaprima, membro ſecundo, articulo ſexto, §. 2.* & favet *D. Bonavent. ibi, artic. 2. quaſt. 3.* quamvis enim priùs dicat licere maximè pro bono communi, ubi inſinuat etiam pro bono privato: at paulò inferiùs concludit id licere, quando neceſſitas, vel utilitas communis id poſtulat. Idem innuit *Major in 3. d. 39. quaſtione tertia, concluſ. tertia,* ubi ait licere pro pace gentis initianda, aut conſervanda. At hæc pertinet ad bonum publicum. At dicendum eſt non eſſe neceſſarium bonum publicum, ſed ſatis eſſe privatum exigentis. Quia id ſatis eſſe ad petendum mutuum ab uſurario, probavimus ſatis, atque utriuſque eamdem eſſe rationem diximus *num. decimoſecundo.* Atque ita *Gabriel 3. d. 39. quaſt. 1. art. tertio, dubio 1. verſic. De circumſtantia per quid*; relata priori ſententia, concludit fortè dici poſſe ſicut in petitione mutui ab uſurario. Et *Sayro in clavi regia, lib. 5. cap. tertio, numero decimonono,* æquiparat utrumque caſum, & concludit ſolùm non licere, quando petenti juramentum, aut nùllum, aut exiguum commodum inde reſultat. Et *Suarez tom. tertio, in 3. part. quaſt. 65. art. 4. diſp. 18. ſect. 8. coroll. 2. colum. octava, verſic. Dixi autem,* æquiparat utrumque caſum, & dicit ſatis eſſe neceſſitatem privatam petentis, vel magnam utilitatem. Et *tom. 2. de religione tract. de juramento, lib. 3. cap. 13. num. 8.* ait juſtitiam hujus exigendi juramenti cauſam eſſe; ſi ſit componenda lis, aut controverſia finienda, vel fœdus firmandum, aut ſecuritas in quolibet humano negotio accipienda: quas omnes cauſas ad privatum petentis bonum ſpectare conſtat. Et *Leonard. l. 2. de juſtitia cap. 42. dub. 20. num. 50.* ubi ait in contractibus, & aliis cauſis licere exigere id juramentum, ad damnum, vel injuriam cavenda: quæ etiam ſunt cauſæ boni particularis. Et *Graffis 2. part. deciſionum, lib. 2. cap. 4. num. 13.* ait licere id recipere propter utilitatem. Et *Driedo lib. primo de libertate Chriſtiana, in mea editione cap. nono ad finem,* dicit id licere pro obſervatione pacis, ſeu promiſſi fœderis, at hoc poteſt ad bonum commune, & ad privatum ſpectare.

22 Secunda difficultas eſt, quale peccatum ſit hoc juramentum exigere ab infideli parato ad jurandum per falſos deos, quando deficit neceſſitas, aut utilitas excuſans. Quam difficultatem his terminis non enodant Auctores, ſed in ſimili caſu de petente mutuum ab uſurario parato, abſque cauſa juſta. In quo caſu eam petitionem eſſe lethalem affirmant aliqui. Ducuntur, quia generale charitatis proximi, ac correctionis fraternæ præceptum, obligat quemlibet ſub mortali ad vitandum lethale alterius peccatum, quando commodè, & abſque ſuo damno id poteſt. Atque ideo hanc partem ſuſtinent *Sylv. verb. Uſura 7. q. 1. Conrad. de contractibus q. 47. Aragon. 2. 2. q. 89. art. 6. dub. 2. concl. 3.* ubi idem dicit de petitione juramenti ab infideli parato ad jurandum per falſos deos, *Molina tom. 2. de juſt. diſp. 335. col. 1. concl. 4. & col. 2. verſ. Utrum autem, Valentia 2. 2. diſput. 5. quaſt. 21. columm. 2. dict. 2. & columna ult. ad finem.* Item tenet cum quadam limitatione *Salonius 2. 2. quaſt. 78. artic. 4. controverſia 3. ad finem* nempe, quando is uſurarius ex fragilitate peccat: ſecùs quando ex malitia.

23 Quamvis autem hoc probabilius eſſe credam, quia ratio adducta fortiter urget: at probabile eſt culpam ſolam venialem admitti: niſi aliqua finis mortalis circumſtantia adjungatur. Ut ſi petantur eæ pecuniæ ad expendendum cum meretricibus: tunc enim non ratione occaſionis datæ uſurario, ſed ratione ſolius finis erit mortale: vel (ut ait *Sotus* ſtatim allegandus) ratione damni. Ut ſi ratione prodigæ pecuniarum ad uſuras acceptionis, accipiens conflet magnum æs alienum, ita ut notabile ſuæ familiæ educandæ damnum inferat. Ducor ad cenſendum eſſe probabile. Quia video viros graviſſimos tenere eſſe ſolùm veniale. Id enim tenent *Cajetan. 2. 2. quaſt. 78. artic. 4. paulo poſt principium: & in ſumma, verb. Uſura. cap. penultim. in initio, Sot. lib. 6. de juſt. qu. 1. artic. 5. paulò poſt principium, dubio primo, Navarr. ſumm. capit. 17. num. 262. Emmanuel Sà ſumm. verb. Uſura num. 5. Aragon. 2. 2. quaſt. 78. art. 4. dub. 1. concluſ. 2. Petrus de Ledeſma ſecundo tom. ſumm. tract. 8. cap. 33. poſt 29. concluſionem, dubio ſecundo.* Et tenent plurimi ex Neotericis, ut refert *Bannez 2. 2. q. 78.*

q. 78. art. 4. ſtatim in principio, dub. 3. & oppoſitam ſententiam ſolùm vocat probabilem. Secundò, quia eadem eſt prorſus ratio de hoc, ac de petente Sacramentum à miniſtro malo parato, ſciendo fore, ut in peccato mortali miniſtret. Et tamen petentem abſque neceſſitate, vel utilitate aliqua, ab hoc Sacramentum, affirmant multi venialiter ſolùm peccare. Quod adeò firmiter tenet *Sotus 4. d. 1. q. 5. art. 6. columm. 9. verſ. Prima itaque propoſitio ſit,* ut dicat eſſe certum, & abſque controverſia apud omnes. Tertiò, quia, ut vidimus *num. 12. & ſeqq.* vel modica utilitas ſatis eſt ad excuſandum ab hoc præcepto vitandæ hujus occaſionis. At à præceptis ſub mortali obligantibus non tam levis cauſa excuſare ſolet. Tandem, quia, quamvis præceptum vitandæ ruinæ proximi in mortale obliget ex genere ſuo ad mortale; at in hoc caſu eæ circumſtantiæ concurrunt, ut videatur is rigor temperandus. Concurrunt enim ex parte dantis occaſionem, eam non cenſeri datam, ſed acceptam ex ſua prava voluntate: qui ſi vult, poteſt abſque culpa dare mutuum petitum. Item videtur grave onus, tam ſtricta peccati mortalis obligatione adſtringere petentem mutuum, ad diſcutiendum, an cauſa juſta ſit, necne. Et ex parte uſurarii concurrit modica neceſſitas. Cum ſponte ſua in mortale labatur, ad idque paratus ſit. Et ſi modò in hoc uſuræ peccatum non labatur, ſtatim in alia labetur aliis mutuum petentibus: aut ſaltem pravæ voluntatis deſideriis.

24 Ex his ſequitur, idem prorſus dicendum eſſe de petente ab infideli parato ad jurandum per falſos deos, juramentum abſque cauſa juſta. Quippe probabilius eſt culpam eſſe mortalem, (ut dixit *Aragon. n. 22.* alleg.) At eſt probabile. Quia (ut diximus *num. 12.*) uterque caſus æquiparatur. Quando autem non eſſet paratus, manifeſta eſſet culpa lethalis, abſque neceſſitate vel utilitate juſta, id juramentum petere, ſciendo fore, ut alter per falſos deos juret. Quod de non parato ad mutuum ſub uſuris dandum, fatentur omnes. Qualis autem ſcientia hujus peccati proximi, deſideretur, conſtat ex dictis *n. 9.*

25 Ultima difficultas eſt, an caſu, quo liceat ab infideli hoc juramentum petere, ſciendo fore, ut per falſos deos juret, ac nullo alio modo jurare velit, liceat ab eo petere, ut per falſos deos juret. Quæ difficultas ſimiliter communis tractari ſolet in caſu ſimili petentis mutuum ad uſuras. Et quidem conſtat neutiquam licere inducere uſurarium illum, ut mutuet ad uſuras. Quia eſt inducere ad rem intrinſecè malam. Et ita fatetur *D. Th. 2. 2. q. 78. nu. 4. corpore,* loquens de petente mutuum ab uſurario, & juramentum à gentili. Quem omnes ſequuntur. At (ut optimè ait *Sotus l. 8. de juſt. q. 2. art. 4. columm. 3.*) non quæcumque mutui petitio ab uſurario, cenſetur inductio: ſed quando dans ad uſuras, nullatenus dare vult, eò quòd id nefas eſſe norit, & petens inſtigat eum, ut det.

26 Difficultas ergo eò pertinet, quando petens non vult uſurarii peccatum, ſed gratis ſibi dari mutuum: quia tamen certò novit fore, ut alter nolit niſi cum uſuris, ne fruſtra tempus terat, petit mutuum ſibi cum uſuris dari; vel offerendo mutui lucrum. Multi id licere negant. Quòd objectum illius petitionis ſit intrinſecè malum. Item quia quod licet petere, licet deſiderare. At nullatenus licet deſiderare, ut alter det ad uſuras. Ergo nec petere. Atque ita docent *Major in 4. d. 15. q. 35. concl. 1. Cajet. 2. 2. qu. 78. art. 4. paulò poſt principium, Caſtro l. 1. de juſta hæret. dtnit. c. 15. Navarr. ſumma Latina c. 14. num. 39. Hiſpana c. 28. addit. ad n. 30. cap. 14. verſicul. La onzena: & c. 17. Latinè, & Hiſpanè num. 262. Covarr. de pactis 1. p. §. 2. num. 10. Corduba ſumma qu. 5. corollar. 5.* Et contrarium non eſſe tutum docet *Aragon. 2. 2. q. 78 artic. 4. dub. 1. in ſolutione ad ultimum.* Et hanc partem eſſe probabilem docet *Petrus de Ledeſma ſecundo tomo ſumm. tract. octavo, cap. 33. poſt 29. concluſionem, diffic. 1.* Et loquens de petitione juramenti per falſos deos ab ethnico parato, docet *Valentia 2. 2. diſputat. 6. quaſt. 7. punct. 3. colum. quinta, verſic. Advertendum eſt.*

27 Quamvis tamen hoc ſatis probabile ſit, reputo tamen probabilius, licere petere id mutuum, formaliter, & expreſsè ſub uſuris, his verbis, *da mihi mutuum ad uſuras,* vel *da mihi mutuum, & tantum lucri rependam:* quando petens certus eſt fore, ut alter nolit dare mutuum, niſi uſuris exactis: & ipſe eget mutuo. Ducor, quòd ejus petitionis objectum non ſit actio dantis mutuum ſub uſuris, quatenus ab eo procedit. Hæc enim eſt ita intrinſecè mala, ut in nullo eventu, aut peti, aut deſiderari poſſit. Sed objectum illius eſt mutuum, quod autem dicit, *ſub uſuris,* eſt permiſſivè. Et ita eſt ſenſus, *da mutuum, ſed quia certò novi te non daturum niſi ſub uſuris, id tibi permitto, ut mihi conſulam.* Vel *da mihi mutuum; & ſi nolueris dare niſi uſurario lucro tibi præſtito, ad id ſum paratus.* Vel *da mihi mutuum, etiamſi uſuras exigere debeas.* Quod objectum licitum eſt, & ſub hac forma, & conditione, & petere, & deſiderare illud licet. Hoc enim non eſt petere, aut deſiderare alterius peccatum: ſed exponere quid petens facturus ſit, idque permittere. Sicut dum multi DD. dicunt licere minus malum conſulere parato ad majus perpetrandum, objectum illius conſilii non eſt minus id malum: quod nec conſulere, nec deſiderare liceret. Sed objectum illius eſt, *cum certus ſim te alterum ex duobus malis facturum, fac levius, & ne gravius facias.* Et hinc conſtat ſolutio ad argumenta contraria. Et confirmatur, quia licitum eſt, id mutuum petere; & altero reſpondente ſe nolle dare, niſi uſuris promiſſis, fas eſt acceptare conditionem, ac uſuras promittere. Ergo licet à principio eam conditionem offerre, quando certò ſcitur eam petendam. Atque ita pro hac ſententia eſt *Sotus num. 25.* alleg. quatenus ſolam inductionem ad uſuras damnat, quando dans nollet dare, niſi à petente inductus. Pro eadem eſt *Abulenſis num. 31.* referendus, quatenus in ſimili de juramento per falſos deos petendo id admittit in quodam caſu: & proinde non eſſe intrinſecè malum ſentit. Et in propriis terminis docent *Durand. 3. d. 37. quaſt. 4. num. 5. & ibi Palud. quaſt. 2. artic. 1. poſt tertiam concluſionem, D. Anton. 2. p. tit. 1. cap. 9. §. ultimo, in fine, Canus* & plerique ex recentioribus Theologis, ut refert, & ſequitur *Salon. 2. 2. quaſt. 77. artic. 4. controverſia 2. & ibi Bannez ſtatim in principio, dub. 2. Molina tom. ſecundo de juſtitia, diſputat. 335. columm. 1. concl. 5. Valent. 2. 2. diſputat. 5. quaſt. 21. punct. 4. ſtatim in principio, Emmanuel Sà ſumm. verbo Uſura num. 6.* & dicit eſſe probabile *Petrus de Ledeſma numero præcedenti* alleg. & ſimiliter docet eſſe probabile *Suarez tom. 2. de religione, tract. de juramento, lib. 3. cap. 13. numero nono, in fine.*

28 Tria tamen obſervanda ſunt. Primum eſt. *Valentia n. præcedenti* allegatus ſentit eſſe nullum diſcrimen inter petitionem mutui ad uſuras ab uſurario, modo explicato *numero præcedenti* & petitionem corporis à ſcorto. Atque ita dicit non eſſe participem peccati ſcorti petentem ab illo corpus ita, ut potiùs videatur illud interrogare, an velit conſentire, & ipſo conſentiente ſignificare animi ſui præparationem ad peccandum cum illo. At hoc non placet. Quia eſt lata differentia, quando petitur aliquid, quod licitè ab altero præſtari nequit, ut in fornicatione. (Ut latè probavi *lib. 1. c. 6. nu. 14.*) Non enim hujus petitionis objectum poteſt eſſe aliquid bonum. Sicut in petitione mutui ſub uſuris. Et negari non poteſt interrogationem illam eſſe occaſionem, ut ſcortum hanc ſpecialem fornicationem admittat. Ut *ibi* explicui.

29 Imò, ut benè ait *Salon. 2. 2. quaſt. 87. artic. quarto, controverſ. ſecunda, pag. 1193. verſicul. Primum eſt,* nec licet petere ab uſurario mutuum ſub uſuris, quando non ſemper uſuras exigit, ſed aliquando iis non petitis mutuum dat. Et conſtat, quia tunc offertur occaſio exigendi uſuras, & ita peccandi non omnino parato. Item quia ut hæc petitio liceat, petunt DD. certitudinem in petente voluntatis alterius non mutuandi niſi ſub uſuris. At quando aliquando abſque uſuris mutuat, ea voluntas non eſt certa.

30 Secundum eſt. *Salon. eodem artic. 4. controverſia tertia, concluſ. 3.* aſſerit majorem neceſſitatem deſiderari ad petendum mutuum expreſsè, & formaliter, ſub uſuris, cognita uſurarii voluntate non aliter mutuandi: quàm ubi abſolutè petitur mutuum. Atque ita dicit ad petendum hoc poſteriori modo ſat eſt voluntariam petentis mutuum neceſſitatem ad eas res comparandas, quæ honeſtæ ſunt, ac liberè omninò intenduntur ita, ut ex defectu illarum nec ſtatus, nec decentia illius in minimo minuatur. Ad petendum priori modo dicit opus eſſe neceſſitate, quam petens vitare nequit. Ut quia indiget pecunia illa ad decentiam ſui ſtatus conſervandam. Et conſonat doctrina *Abulenſ. numero ſequ.* alleganda, petens peculiarem neceſſitatem ad petendum à gentili expreſsè juramentum per falſos deos. At meliùs reliqui DD. *numero 27.* allegati non meminere neceſſitatis majoris cauſæ in hoc petendi modo. Cum re vera uterque petendi modus concurrentibus illis circumſtantiis eamdem potiùs occaſionem paſſivam peccandi alteri tribuat. Quare eadem prorſus culpa in utroque modo invenitur, quando cauſa juſta deeſt, & ex eadem prorſus cauſa uterque modus culpa liberatur.

31 Ultimum eſt. *Salon. eod. arict. 4. controv. 2. in fine,* ait diſtare petitionem mutui ſub uſuris, & petitionem juramenti per falſos Deos: ut illa liceat modo explicato *num. 27.* hæc autem in nullo eventu liceat, ſed ſolùm petere juramentum non explicando per falſos deos. Quòd illa mutui petitio reddatur licita gratia redimendæ vexationis, quam petens patitur, denegato ſibi mutuo, niſi oblatis uſuris: ac proinde petens non apponit verè conditionem uſurarum, ſed iniquitas uſurarii, ipſo ſolùm permittente. At in petitione juramenti per falſos deos, nulla redimitur vexatio: cum contractus, vel teſtimonium infidelis poſſit variis aliis modis confirmari. At diſplicet hæc diſcriminis ratio. Quia cum uſurarius non teneatur mutuum dare, nulla in ejus denegatione eſt vexatio: & ſicut id mutuum eſt petenti neceſſarium, aut utile, ita id infidelis juramentum: eo enim præſtito firmabitur contractus, qui alioquin erat irritus, & teſtimonium ejus firmius reddetur: imò aliquando id fide carebit abſque juramento. Ut ſi teſtari in judicio debeat: atque tunc ſi nolit jurare niſi per falſos deos, redimetur vexatio petito juramento per illos. Præterea quia idem prorſus eſt utriuſque petitionis ſenſus, in neutro enim caſu vult petens, quod verba exteriùs ſonant, ſed mutuum, vel juramentum, quæ licita ſunt: atque ſolùm cognita alterius malitia nolentis dare, niſi cum uſuris, aut jurare niſi per falſos deos, permiſſivè offertur illi ea conditio, ut det ſub uſuris, aut juret per falſos deos, ſi aliter dare, aut jurare nolit. Et ideò hoc licere tenent *Bannez 2. 2. q. 78. art. 2. ſtatim in principio dub. 2. Petrus de Ledeſma 2. tom. ſumm. tract. 11. cap. 2. dub. ult. notab. 3.* Et idem fatetur *Abulenſ. cap. 5. Matth. quaſt. 270.* quando eſt

magna

magna neceſſitas. Et idem in rigore fatetur dicendum *Suarez tom. 2. de religione tract. de juramento lib. 3. cap. 13. num. 10. in fine, & n. 11. in fine.* Qui tamen optimè ait eo *nu. 11.* longè diverſum eſſe in petitione mutui ſub uſuris, quàm in petitione juramenti per idola. Nam etſi ſit ex ſe licita utraque petitio in prædicto ſenſu permiſſivo; at in petitione mutui ſub uſuris non datur anſa ſcandali, nec eſt externa ſpecies inductionis ad uſuras exercendas: quòd manifeſtum ſit petentem mutuum nolle uſuras dare, atque invitum eas offerre, deſperando aliàs mutuum conſequi, ac proinde datur neceſſitas offerendi illas. At in petitione juramenti per falſos deos, ſatis datur anſa ſcandali, & ut exiſtimetur inductio ad ſic jurandum, & illius approbatio. Quia moraliter numquam eſt neceſſaria ea expreſſio, & ſufficit abſoluta juramenti petitio, & ut alter acceptet conditionem jurandi, eſt ſatis, ne petatur juramentum per verum Deum, quem Chriſtiani profitentur: & ideò benè concludit *Suarez ibi*, etſi ex ſe non ſit illicitum in eo ſenſu permiſſivo petere juramentum per falſos deos; at regulariter id non licere ob prædictam ſcandali rationem: at ſi in aliquo caſu peculiari eſſet neceſſitates ſic petendi, id licere oſtendendo animum ſic acceptandi juramentum, permittendo illud, non quia placeat, ſed quod alio modo obtineri nequeat.

32 Demum obſerva ad licitam petitionem juramenti à Pagano, quem per falſos deos juraturum ſcitur, etſi non explicetur, ut per falſos deos juret, eſſe opus, ut ille aliquam ſaltem notitiam confuſam veri Dei habeat. Quia ſi novit licitum jurandi modum, petitur ab ipſo, quod nequit licitè facere, ſuppoſita ſua veri Dei ignorantia, per quem eſt jurandum. At hæc conditio impletur moraliter, ſeu ſupponitur, quoties fidelis petit ab infideli juramentum. Quia non poteſt tunc ille infidelis non habere ſaltem famam aliquam alterius Dei, per quem Chriſtiani jurant, cum quibus contractum init. Atque hoc ſufficit, ut juramentum per verum Deum non ſit impoſſibile illi infideli: jam enim in ejus poteſtate eſt pleniùs informari, & voluntaria determinatur ad modum illicitum, & licitum negligit. Hæc docet *Suarez eo cap. 3. num 5. & 6.*

CAPUT IX.

De obligatione juramenti, qualia, & quanta ſit? Et qualem materiam deſideret, ut obligationem inducat?

SUMMARIUM.

An juramentum obliget; tamquam privata lex? n. 1.
An illius obligatio oriatur ſemper ex præcepto affirmativo? Et cujus virtutis? n. 2.
An ſemper ſit ſub mortali, etiam in re modica? n. 3.
An ſit major, quàm voti? n. 4.
An juramentum rei futuræ contineat ſemper promiſſionem? Et quid in dubio? n. 5.
An dum non continet promiſſionem, obliget ad rem illam futuram implendam? n. 6.
Qualiter juramentum facti alieni intelligatur, & obliget? numero 7.
An in juramento includente promiſſionem ſit duplex obligatio, & unica, quando illam non includit? n. 8.
An obligatio primaria juramenti promiſſorii facti homini, ſit erga Deum? n. 9.
An juramentum promiſſorium factum homini, nullo acceptante legitimè, obliget? n. 10.
Juramentum ſoli Deo factum materiæ malæ, indifferentis, impedientis majus bonum, ſeu contra conſilia, ut non mutuandi, non fidejubendi, rei impoſſibilis, aut difficillimæ, aut ob finem malum; & quando partim materia eſt mala, aut impoſſibilis, vel ſub conditione impoſſibili, vel ſub pluribus conditionibus, quarum una eſt impoſſibilis, an obliget? Remiſſivè, n. 11.
Quid ſi id juramentum ſoli Deo factum, non contineat promiſſionem, aut non referatur explicitè in Deum? n. 12.
An nulla petita relaxatione poſſit contraveniri juramento de materia, impoſſibili, indifferenti, aut contra conſilia? Et explicatur cap. Cum quidam, de jurejurando, *& c.* Venerabile, *verſ.* Idem etiam, de elect. *n. 13.*
An ſit peccatum implere juramentum naturæ incapacis, ut contra conſilia? num. 14.
Juramenta non emendi auctiori pretio, aut non minori pretio vendendi, an obligent? n. 15.
Juramenta parentum, aut herorum, dominorum, puniendi filios, famulos, ſervos, aut eos puniendi, ſi eos arripuerint, an obligent? num. 16.
Juramenta puerorum deferendi delicti alterius pueri parentibus, heris, aut magiſtris, an obligent? n. 17.
Juramenta prævenientium ſe honore non egrediendi, aut ingrediendi priùs per januam, & ſimilia, an obligent? n. 18.
An quoties juramentum præſtitum homini poteſt abſque culpa impleri, etſi ſit de re indifferenti, aut impediente majus bonum obliget? n. 19. Et ibi remiſſivè, an exigatur actum promiſſum eſſe actum alicujus virtutis?
Quid ſi id juramentum factum homini non includat promiſſionem? num. 20.
An non obſtante eo juramento matrimonii, aut alicujus obſequii præſtandi homini, liceat tranſitus ad religionem, & ſtatum perfectiorem, etiamſi pactum expreſſum ſit non tranſeundi ad religionem? Et quid de juramento admiſſorum ad quædam collegia, quo jurant ſe non fore religioſos inconſulto collegii præfecto? Et an admiſſi ad Anglicum collegium, jurantes tranſitum in Angliam finitis ſtudiis, gratia docendæ fidei, poſſint ad religionem tranſire? Remiſſivè, n. 21.
Quid ſi juramentum ipſum ſit illicitum, aut lege interdictum, aut lege irritatum? n. 22.
Quid ſi promiſſio illo juramento facta ſit illicita? n. 23.
Quid ſi etiam ſit jure irrita? n. 24.
Quid ſi ſit culpa implere promiſſionem illam, ut juramento ſtabilitam? num. 25.
Quid ſi ea promiſſio ſit contra prius votum, aut juramentum, aut ſimplicem promiſſionem? n. 26.
Quid ſi ea promiſſio ſit prodiga? n. 27.
Quid ſi ea promiſſio illa fiat ob finem turpem? n. 28.
An juramentum reipublicæ ſub culpa aliqua, ſive per legem naturalem, ſive divinam poſitivam, ſive canonicam, ſive civilem obliget? n. 29.
An juramentum contra bonos mores naturales, ſive civiles, obliget? Et explicatur regula, Non eſt obligatorium de regulis juris in 6. *num. 30.*
Explicatur quando prohibitio legis civilis ſit principaliter ob publicam utilitatem, & quando principaliter ob privatam, numero 31.
Proponitur quædam opinio circa obligationem legis civilis ad culpam, quando eius prohibitio eſt principaliter ob utilitatem publicam, num. 32.
Proponitur alia opinio circa eamdem obligationem, quando prohibitio eſt principaliter ob utilitatem privatam, num. 33.
Traditur vera regula circa hoc, quando prohibitio eſt principaliter ob publicam utilitatem, n. 34.
Traditur alia, quando eſt principaliter ob privatam utilitatem, num. 35. & 36.
An ſit ſufficiens obligationis ad culpam ſignum, quando lex civilis interdicit aliquid ob privatam utilitatem, ſi iubeat non poſſe ei favori renuntiari? n. 37.
An obliget ad culpam, & ſic iuramentum non obliget, quando lex civilis aliquid interdicit propter detrimentum tertii? numero 38.
Qualiter hoc tertii detrimentum ſit intelligendum? n. 39.
An obliget iuramentum, quando lex non tantùm contractum, ſed illud irritat? n. 40.

1 HActenus egimus, quando juramentum, ejusve exactio licita ſint. Jam de juramenti promiſſorii obligatione agendum eſt. Et quia hæc poteſt multipliciter impediri, nempe, aut ex parte incapacitatis materiæ ad obligandum, aut ex parte ipſius jurantis, quia abſque vera intentione jurandi, aut ſe obligandi, aut doloſè per verba, aut intentionem, æquivocè juravit: aut abſque deliberatione, aut per errorem, aut metum, aut injuriam: *in præſenti capite* tractatur de materia requiſita ad juramenti obligationem, & qualis hæc obligatio ſit: *in ſequentibus* autem agetur de defectibus ex parte jurantis. Præmittenda autem ſunt aliqua circa modum, quo juramentum promiſſorium obligat. Primò præmittendum eſt, aliquos cenſere juramentum non obligare inſtar privatæ legis, quam jurans ſibi imponit, ut dicunt DD. obligare votum ipſum. Non enim juramentum eſt lex, ſed invocatio divini teſtimonii, quod longè aliud eſt: atque ita dicunt obligari quempiam juramento, quia eo ipſo quòd jurat, tenetur præcepto religionis id implere. Ita *Valent. 2. 2. diſput. 6. q. 7. punct. 4. in initio.* At diſcrimen hoc inter juramentum, & votum minimè placet. Cum enim utriusque obligatio ex ſola voluntate hominis eo vinculo ſe adſtringentis conſurgat, utrumque eſt privata lex ab ipſo homine ſibimet impoſita; in voto quidem, per fidem Deo datam, in juramento autem promiſſorio, per eamdem fidem invocato divino teſtimonio, quaſi fidejuſſore. Nec obſtat juramentum obligare eo ipſo, quòd quis jurat, ex virtute religionis: quippe idemmet in voto contingit. Dicitur autem utrumque privata lex, quòd fons, & origo utriusque obligationis, ſit ſola privata hominis eo vinculo ſe ligantis voluntas. Atque ita *Joann. à Metina tract. de confeſſione quæſti. de diſpenſatione ſuper confeſſione revelanda, in ſolutione, ad ſecundum,* optimè impugnat differentiam ab aliquibus conſtitutam, inter juramenti, & voti obligationem, ut illa ex deliberata verborum atteſtatione naſcatur: hæc autem ex voventis intentione. Atque hæc ſententia conformis ſententiæ, quam *cap. ſequenti, numero octavo,* amplectemur, & ampliùs declarabimus. Prior autem eſt juxta priorem *ibi num. ſeptimo* referendam.

2 Secundò præmittendum eſt, ex quo præcepto hæc juramenti promiſſorii obligatio conſurgat. Et quidem ſi agamus de circumſtantiis neceſſariis, ut licitum ſit juramentum tempore, quo fit, nempe, veritate, juſtitia, & judicio, conſtat eas ex præcepto negativo non uſurpandi nominis Dei in vanum, eſſe adhibendas: & aliquando quoque ex præcepto affirmativo. Nam quoties quis tenetur jurare, tenetur eodem affirmativo jurandi præcepto id juramentum rectè uſurpare. Ut benè ait *Valentia eodem puncto quarto, paulò poſt principium.* Hoc tamen intelligo verum, quo ad ſolam juramenti veritatem, ad quam eruendam id tendit. At ſi irreverenter, aut

ex

ex parvo fine tunc juretur, non eſſet contra id affirmativum præceptum, ſed contra ſolum dictum negativum. Sicut juxta communem ſententiam præceptum recipiendæ Euchariſtiæ in Paſchate non obligat ad dignam receptionem, ſed ea obligatio eſt ex vi alterius præcepti divini ad religionem pertinentis. Si verò loquamur de obligatione exequendæ promiſſionis juramento firmatæ, ea ligat ex ſolo affirmativo religionis præcepto, ſive jusjurandum ſit de aliquo affirmativo, ut de aliqua re facienda; ſive de negativo, ut de non facienda. Ut benè docet *Valentia* proximè relatus. Quia ad religionis obligationem, quam juramentum, & votum ex ſe reſpiciunt, id ſolùm ſpectat, ut Deo honos tribuatur ei fide ſervata, ſive ſimpliciter detur, ſive ſtabilita atteſtatione ſui nominis. Hoc autem eſt quid affirmativum, ſive promiſſio de aliquo affirmativo, ſive de negativo ſit. Intelligo autem obligare ex vi ſolius religionis, ſi præciſam juramenti naturam conſideremus, nam ſi promiſſio jurata homini acceptanti fieret, obligaret utique etiam ex juſtitia. Sicut de promiſſione ſimplici probavi *lib. 1. de matrimon. diſputat. 5. num. 20.*

3 Tertiò præmittendum eſt, obligationem juramenti promiſſorii implendi eſſe ex genere ſuo ſub mortali. Quia res graviſſima eſt, reddere verum teſtimonium divinum, implendo promiſſionem eo confirmatam. Atque ita fatentur omnes, ſolumque diſcordant, quando juramento promiſſæ deficitur. De quo diximus *c. 4. à n. 21.*

4 Quartò præmittendum eſt, utra obligatio major ſit, voti, an juramenti. Et quidem ſi loquamur de juramento aſſertorio, manifeſtum eſt obligationem juramenti eſſe majorem, nec de hac loquuntur DD. Et ratio eſt, quia obligatio veritatis dicendæ, quam includit juramentum aſſertorium, pertinet ad præceptum negativum, ut ex forma præcepti conſtat, *Non aſſumes in vanum nomen Dei tui.* Atque obligat ad non irrogandam Deo graviſſimam injuriam, negando illi, quatenus eſt ex parte pejerantis, eſſe ſummam veritatem nec fallere, nec falli potentem. At obligatio voti pertinet ad præceptum affirmativum, ut ex ipſa forma apparet, *Reddes Domino vota tua.* Et obligat ad ſervandam Deo fidelitatem. At pejus eſt injuriam paſſivam directam alicui irrogare, quàm eſſe illi infidelem deficiendo à fide data. Et ita docent *Suarez tom. 2. de religione, tractatu de iuram. lib. 2. cap. 3. num. 5. Leonardus lib. 2. de iuſtitia cap. 42. dub. 11. numer. 53. & 54.* Rurſus ſi juramentum rei futuræ factum Deo contineat promiſſionem, manifeſtum eſt magis obligare, quàm votum. Quia continet obligationem voti, & juramenti. Et ita benè docet *Leonardus ibid. num. 52.* Quare dum DD. diſputant, utra ſit major obligatio, intelligunt, quando in eo juramento nulla eſt promiſſio modo, quem explicabimus *num. ſequ.* Vel ſi contineat promiſſionem, loquuntur ſpectata ſola juriſiurandi obligatione. In qua quæſtione gravis eſt controverſia inter DD. de qua latiſſimè *Michael à Metina l. 5. de ſacrorum hominum continentia, à cap. 22.* ubi majorem eſſe juramenti obligationem ex multis oſtendit. Quod idem (& ſatis probabiliter) multi alii ſuſtinent. Sed quia res hæc non multùm ad praxim confert, breviter dico probabilius eſſe, majorem eſſe voti obligationem. Quod cum *D. Thom. 2. 2. quæſt. 89. art. 8.* multi alii amplectuntur, & *Suarez* alios referens, & latè probans, ac contraria ſolvens, *eodem cap. 3.* proximè allegato *à numer. 7.* Tum quia major obligandi vis ex eo, cui obligatio fit, ſpectanda eſt: at votum ex ratione ſua fit Deo: juramentum autem ut ſic id non petit, ſed ſolùm afferri divinum teſtimonium ad confirmandam veritatem illam futuram. Tum etiam quia utriusque obligatio ex aliquo divino conſurgit: juramenti quidem, ex reverentia Deo debita, eum veracem efficiendo; voti autem, ex fidelitate Deo debita. At infidelitas eſt majus malum, quàm irreverentia, quippe irreverentiam etiam claudit, & addit aliquid aliud: parvi enim penditur Deus, dum ei fides non ſervatur.

5 Quintò præmittendum eſt, etſi juramentum de re aliqua futura contineat regulariter promiſſionem illius faciendæ, aut omittendæ, poſſe tamen non continere illam, ſive juramentum illud ſoli Deo, ſive homini fiat. Quia ſicut ſimplex aſſertio de futuro poteſt ſolum illius rei faciendæ, aut omittendæ, propoſitum continere, abſque ulla promiſſione: ita juramentum poteſt cadere ſuper id propoſitum, abſque promiſſione aliqua. Ut poteſt quis jurare aliquid futurum, verbi gratia fore, ut cras pluat, vel ut Titius vindictam ſumat, vel aliquid aliud efficiat, non intendendo ſe obligare ad jurandum id fieri. Similiter poteſt jurare factum proprium eodem modo, nempe, fore, ut ingrediatur religionem ipſemet jurans, teſtando ſimplex ingreſſus propoſitum abſque ulla ejus promiſſione: ita ut non intendat jurans id promittere, ſed ſolùm firmare voluntatem ſuam in eo propoſito. Quod aliis exemplis declarans, & DD. referens tradidi *l. 8. de matrimon. diſput. 13. num. 4.* Et ultra DD. *ibi* relatos tenent *Leonard. l. 2. de iuſt. c. 42. dub. 11. n. 53. verſic. Reſpondeo tale iuramentum, Suar. tom. 2. de relig. tract. de iuram. l. 2. cap. 1. à num. 3. & cap. 2. num. 6.* Atque juramentum hoc rei futuræ non claudens promiſſionem, eſt medium inter merè aſſertorium, quod eſt propriè de re præſenti, aut præterita: & verè promiſſorium: & ideò imperfectè, & ſecundùm quid, poteſt dici promiſſorium. Quando autem non conſtat de intentione jurantis, utro ex his modis jurare intenderit, id erit ex circumſtantiis conjectandum, & ex jurandi occaſione. Quòd ſi omnibus penſatis res fuerit dubia, judicandum eſt includere promiſſionem. Sicut in ſimili tradit *Sotus lib. de iuſtit. quæſt. 1. art. 9. ad 2. in fine.* Et in propriis terminis addit *Suarez eodem cap. 2. in fine.* Et ratio eſt, quia quamvis in dubio obligationis ſit in benigniorem partem inclinandum, ac proinde in hoc dubio eſſet judicanda obligatio ſolius juramenti non claudentis promiſſionem. Ad id intelligendum eſt, niſi conjectura alia urgentior adſit, qualis eſt, ut tunc adſit quoque promiſſio: ea enim adeſt ex accidentibus communiter, ac regulariter. Quippe ſunt communiter, ac regulariter, juramenta hæc promiſſioni conjuncta: & hic eſt proportionatus illa emittendi modus.

6 Quòd ſi inde inferas juramentum rei futuræ deſtitutum promiſſione, ac ſolum propoſitum firmans, nullam inducere obligationem, in futurum propoſiti illius explendi, ſed contentum eſſe ſola veritate præſenti, inſtar juramenti merè aſſertorii. Quia perinde videtur, ac ſi quis juraret ſe habere propoſitum illius rei exequendæ. At ea illatio eſt omnino neganda, & dicendum eſt, id juramentum ultra obligationem dicendæ veritatis de præſenti, habendo animum propoſiti illius explendi, inducere obligationem ad exequendam rem juratam. Probatur, quia obligatio juramenti ad exequendam rem illo ſtabilitam, non pendet ab obligatione promiſſionis, cum contingere poſſit promiſſionem eſſe irritam, & tamen juramentum obligare: ut contingit in juramento ſolvendi uſuras, juxta *cap. Debitores, 6. de iureiurand.* In quo caſu conſtat promiſſionem illam nil prorſus conferre ad juramenti obligationem, quod enim eſt irritum, nil operari poteſt. Ergo nil refert ad juramenti de futuro obligationem, ſive promiſſio intercedat, ſive non. Secundò, quia rectè ait *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 89. articulo ſeptimo ad primo,* non eſt juranda veritas, niſi de qua aliquis firmus eſt. Ergo ut jurans rem futuram, rectè juret, tenetur firmiter eſſe certus de illa exequenda, ac proinde ex vi juramenti tenetur illam exequi. Et confirmatur, quia jurans aſſertionem futuram, tenetur dare illi totam veritatis firmitatem, quam poteſt habere, aliàs temere juraret, ſi non eſſet certus, ac firmus de veritate futura. Hæc autem firmitas conſiſtit in animo exequendi tunc habito, & in obligatione ad exequendum in poſterum. Ergo tenetur poſtea id exequi, ut faciat verum id quod jurat. Quare dum quiſpiam jurat ſe aliquid facturum, abſque promiſſione aliqua, non tamen jurat ſe tunc habere propoſitum faciendi id, ſed ſimul etiam jurat ſe perſeveraturum in eo propoſito, donec illud impleat, & ad id Deum quaſi fidejuſſorem adducit. Atque ita optimè docent *Suarez* colligens ex *Div. Thom.* & aliis, *eodem libro ſecundo, cap. 1. à num. 11. uſque in finem, Leonardus lib. primo, de juſtitia cap. quadrageſimoſecundo, dub. 11. num. 53. verſ. Reſpondeo tale iuramentum.*

7 Hinc deducitur, qualiter actio aliena verè jurari poſſit. Duplex enim poteſt eſſe ſenſus, quando quis factum alienum jureiurando affirmat. Prior eſt quaſi ſpeculativus, affirmandò ſolùm factum alienum à jurante cognitum faciendum in poſterum. Sicut quando quis jurat fore, ut cras pluat, manifeſtum enim eſt eum non ſe obligare ad diligentiam aliquam apponendam, ut pluat. Quod etiam ſolet contingere, quando quis conſolans ægrum timentem mortem, vel quemcumque timentem aliud malum, jurat fore, ut incolumis evadat. Et in hoc caſu, ne juramentum id ſit falſum ratione dubii eventus, eſt neceſſaria in jurante ſufficiens conjectura animo, & mente facturi id opus, vel de re illa futura: atque per verba ipſa ſufficienter explicari: ut ſic jurando *iuro me credere,* aut *opinari hoc futurum,* vel ex circumſtantiis colligi eum eſſe jurantis ſenſum. Poſterior ſenſus eſt practicus, id eſt, in ordine ad iurantem, ut ſenſus ſit, ſe daturum operam, curaturumque, ut alter, cuius factum jurat, id exequatur, & tunc tenetur ad hanc diligentiam apponendam. Atque ita docet *Suarez eodem cap. 1. numero ultimo.* Quando tamen non conſtat de intentione jurantis factum alienum, eſt intelligendum iuramentum in hoc poſteriori ſenſu, & manet obligatus iurans ad hanc diligentiam. Quia ne facti alieni ſponſor credatur periurus, rem incertam promittendo, ſubintelligitur in eo iuramento, ſe facturum, & curaturum. Ut hæc probavi multis allegatis, *lib. primo de matrimon. diſputat. 24. numero ſeptimo.* Et præter Doctores *ibi* allegatos tenet *Suarez tom. ſecundo de religione, tractatu de iuramento, lib. primo, cap. 4. numero decimo.* Atque *eadem diſp. 24. num. 11. & 12.* probavi ad ſatisfaciendum iuramento, teneri hunc abſque fraude, & fictione, adhibere omnem diligentiam, quam rei promiſſæ qualitas poſceret: atque ita non ſatisfacere petendo id fictè, & ſimulatè ab alio, ita ut ipſo petendi modo voluntatem parum propenſam ad id aſſequendum indicet. Quod vulgo *pedir por complimiento* appellamus.

8 Eſt autem in præſenti id diſcriminis inter iuramentum factum homini, non includens promiſſionem, & illam includens: aliæ enim differentiæ in ſequentibus ſunt explicandæ, nam quando non includit promiſſionem, habet unicam obligationem, quæ eſt ad Deum. Sicut de iuramento ſolvendi uſuras dicunt Doctores. Quia cum nullam confirmet promiſſionem, ſed ſolum propoſitum, ex quo nulla oritur obligatio, ſola ſupereſt obligatio Religionis ex iuramento orta, quæ erga ſolum Deum eſt. Et ſic docet *Suar. eo tract. de iuram. lib. 2. c. 4. n. 2.* At quando includit promiſſionem, eſt duplex in eo obligatio, altera Deo, & altera homini. Ut docent *D. Tho.*

2. 2.